

rēs, nisi rationibus bene subductis & putatis, & ut ita dicam, caesis. TERENTIUS quidem *Caedere sermones*, in *Heauton*. dixit. Gymnasium Attici Epiroticum nunc *Amaltheum*, nunc *Amalthea* a CICERONE vocatur. Vide hoc eodem lib. *epist.* QVAERIS EX ME. Inter Achaïam autem & Corinthum Sicyonica regio est, in qua urbs Sicyon.

Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam.] Calendis Ianuariis novi coss. ad senatum de summa repub. referebant: & quo ordine sententias eo die rogabant, eum toto anno servabant. Rogabant autem eo ordine quo volebant: ita tamen, ut neque consulari Praetorium, neque Praetorio Aedilitium, neque Aedilitio Tribunitium praeponerent. Vide AV. GELLIVM libro XV. *capite septimo*.

Praepositumque esse nobis pacificatorum Allobrogum.] Virum hunc consularem fuisse oportet, qui M. Tullio sit praepositus. Pompeium significare videtur: de quo DION. lib. XXXVII. iis verbis, *Sed L. Marius & Servius Galba exercitu Rhodanum traiecto per agrum Allobrogum ad oppidum Folonium populabundi pervenerunt: supra quod locum quendam munitissimum vi ceperunt loci custodibus praelio devictis, oppidique partem quae ligneis constabat aedificiis, combusserunt, neque ideo tamen oppido potiti sunt interventu Catignati. Pompeius re audita cum omnibus suis copiis ad oppugnandum oppidum venit: quod cum obsedisset, omnes qui in oppido erant, extra unum Catignatum, cepit.* Cur autem rebellarent Allobroges, causam fuisse puto magistratum Romanorum avaritiam, & senatus negligentiam in coercendis impuris magistratibus. SALLUSTIUS in *Coniuratione* legatos Allobrogum haec eadem queri facit cum Umbreno quodam. *Postquam, inquit, illos videt queri de avaritia magistratum, accusare Senatum, quod in eo auxilii nihil esset, miseriis suis remedium mortem expectare.*

Idque admurmurante Senatu.] Idque contra voluntatem Senatus, qui mihi pacificatorem illum Allobrogum praepositum dolebat.

Et voluntatem non minus devinctam beneficio Consul.] Non nimis legendum puto. Beneficio autem Consul princeps quis rogabatur sententiam, rogabat enim eos. quo ordine volebat.

Tertius est Catulus.] Quintus Catulus Quinti F. pater enim mortuus iam erat: neque filius diu superstes patri fuit. Sic enim *epistola ultima huius libri, illud tamen velim existimes, me hanc viam optimatum post Catuli mortem, neque praesidio ullo, neque comitatu tenere.*

Consul ipse parvo animo & pravo.] Piso, quem alii M. alii L. vocant. apud CAESAREM primo de bello Gallico L. Pisonem legimus: in his *epistolis* M. Pisonem. Piso ergo Consul & par-

vo erat animo, quia nihil agebat in repub. & pravo, quia seiunctus ab optimatibus.

Cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur facie magis quam facetiis ridiculus.] CICERO II. de Oratore, *Me quidem hercle valde illa movent stomachosa & quasi submorosa ridicula, non cum a moroso dicuntur: tum enim non sal, sed natura ridetur.* Quid porro dicacitas sit, Idem eodem libro iis verbis explicat, *Cum duo sint facetiarum genera, alterum peracutum & breve: superior, cavillatio: altera, dicacitas nominata est.*

Sed vereor ne hoc quod infectum est, serpat longius.] Sed vereor ne haec causa religionis, quae iam in republica factiones parere coepit, magnorum malorum causa sit.

Idque sacrificium cum virgines instaurassent.] Vestales, sacrificia minus diligenter facta aut polluta renovantur & instaurantur. Vide CICERONEM in Orat. de Harusp. resp.

Is fuit princeps, ne tu aliquem nostrum putes.] Is fuit primus, qui mentionem eius rei in senatu fecit, ne tu aliquem e consularibus putes. Princeps apud CICERONEM primum significat. Sic enim libro in Verrem IIII. quem ego secundum facio, *Primum quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam & fidem populi Romani applicuit, prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata. Epistola item huius libri cuius est initium, Magna mihi, Ego princeps in adiutoribus, ego secundus.*

Deinde ex s. c. Consules rogationem promulgasse.] Rogatio, quam Consules ex Senatusconsulto ferebant, haec erat, ut vellet & iuberet populus Clodium exulare, si in opertum bonae deae accessisset, & vellet item & iuberet Iudices a Praetore legi, quo consilio idem Praetor uteretur. Promulgabantur autem rogationes per trinundinum.

Operae comparantur.] Ad legem abrogandam. *Instat & urget Cato.*] Ut lex perferatur.

Tuus autem ille amicus, scin quem dicam?] Pompeium dicit.

De quo tu ad me scripsisti, posteaquam non auderet reprehendere, laudare coepisse.] Posteaquam non auderet reprehendere, laudare coepisse, Verba sunt ex *epistola Attici*. Pompeio non placebat Ciceronis Consulatus; itaque decreverat, ut primum in urbem rediisset, Ciceronis res gestas reprehendere. Sed cum invenisset quae Cicero in Consulatu gesserat, de Senatus sententia omnia eum gessisse, consentiente cuncto populo Romano Italiaque univèrsa, repressit se, & Ciceronem laudare coepit.

Occulte, sed ita ut perspicuum sit, invidet.] Pompeius simulator quidem erat, non ita tamen reclusus, ut quid vellet perspicui non posset.

Nihil in τοῖς πολιτικοῖς honestum, nihil illustre; nihil forte, nihil liberum.] *Epistola huius libri ultima* sic rursus de Pompeio, *Et is de quo scribis*

bis nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum atque populare.

Terrae filio nescio cui.] Homini ignoto. Vide ERASMVVM in proverbio, Terrae filius. CICERO ad Trebatium, Cneus Octavius tuus familiaris, summo genere natus terrae filius.

Provincias Praetores nondum sunt sortiti.] Atticus scire volebat quaenam provincia obtigerat Qu. Ciceroni, cui legatus esse cogitabat: quod quidem consilium postea mutavit.

Includam orationi meae.] Metellinae, quam tibi mittam propediem auctam a me locis quibusdam, de qua paulo post, In illam Metellinam orationem addidi quaedam. Metellina autem CICERONIS oratio erat, quam adversus concionem Qu. Metelli Nepotis Trib. pleb. (sic enim ea oratio teste GELLIO, inscripta fuit) scripserat, sed non ediderat; edita tamen postea est, & prolata, cum Cicero in exilio esset. Vide epist. libri III. cuius est initium, Tu quidem sedulo.

Ad III. Non. Decembres mendose fuisse animadverteram.] In aliqua Ciceronis oratione mendose scriptus fuerat numerus quidam die-

rum: quod antequam Ciceronem Atticus monuisset, iam ipse Cicero animadverterat.

Quae laudas ex orationibus.] Aliquas ex iis orationibus, quas epistola prima libri secundi consulares vocat, Attico Cicero miserat: e quibus locos quosdam Atticus probabat.

Antronianam domum emit h. s. cxxxvii.] Domum quae fuit P. Antronii: eius credo qui ob coniurationem Catilinae damnatus in Achaia exulabat: quemadmodum testis CICERO est libro tertio harum epistolarum. Quantum ad numerum pecuniae attinet, certi nihil dici potest. Quem si ita exprimimus, h. s. centum triginta septem millibus, parva admodum erit summa: sin vero hoc modo Centies tricies septies, ingens erit pecunia: & qua non una domus, sed urbs emi potuisset. Ciceroni sua domus h. s. tantum tricies quinquies stetit, quae tamen & laxissima & magnificentissima erat, & loco civitatis optimo. Quare legendum putarem h. s. tricies septies.

Tu ista confice.] Secreto habe. Quae ventriculus conficere non potest, ea fere eiicit & evomit.

VEREOR, ne putidum sit scribere ad te, quam sim occupatus: sed tamen distinebar, ut huic vix tantulae epistolae tempus habuerim, atque id ereptum e summis occupationibus. Prima concio POMPEII qualis fuisset, scripsi ad te antea, non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis; itaque frigebat tum PISONIS Consulis impulsu levissimus tribunus pleb. FVFIVS in concionem produxit POMPEIVM; res agebatur in circo FLAMINIO: & erat in eo ipso loco illo die nundinarum πανηγυρις; quaesivit ex eo, Placeret ne ei, iudices a Praetore legi, quo concilio idem Praetor uteretur; id autem erat de Clodiana religione ab Senatu constitutum; tum POMPEIVS μάλ' ἀριστοκρατικῶς locutus est; Senatusque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam videri, semperque visam esse, respondit, & id multis verbis. Postea MESSALLA consul in Senatu de POMPEIO quaesivit, quid de religione, & de promulgata rogatione sentiret; locutus ita est in Senatu, ut omnia illius ordinis consulta γενικῶς laudaret: mibique, ut assedit, dixit, se putare, satis ab se etiam de istius rebus esse responsum. CRASSVS postea quam vidit, illum excepisse laudem ex eo, quod hi suspicarentur homines ei Consulatum meum placere, surrexit, ornatissimeque de meo Consulatu locutus est; ut ita diceret, se, quod esset Senator, quod civis, quod liber, quod viveret, mihi acceptum referre; quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium meum videre. Quid multa? totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere de flamma, de ferro, (nosti illas λεκίδους) valde graviter pertexuit. Proxime POMPEIVM sedebam; intellexi hominem moveri; utrum CRASSVM inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset; an esse tantas res nostras, quae tam libenti Senatu laudarentur, ab eo praesertim, qui mihi laudem illam eo minus deberet, quod meis omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus esset. Hic dies me valde CRASSO adiunxit: & tamen, ab illo aperte, tecte quidquid est datum, libenter accepi; ego autem ipse, dii boni! quo modo ἐνεπερπερασάμην νοβο

auditori POMPEIO? si unquam mihi, *πέλοδοι, ἢ καρπαί, ἢ ἐνδυμήματα ἢ κα-
τασκευαὶ* suppeditaverunt, illo tempore. Quid multa? clamores; etenim haec
erat ὑπόθεσις, de gravitate ordinis, de equestri concordia, de consensione Italiae,
de immortalis reliquiis coniurationis, de utilitate, de otio; nosti iam in hac ma-
teria sonitus nostros: tanti fuerunt, ut ego eo brevior sim, quod eos usque istim
exauditos putem. Romanae autem se res sic habent. Senatus ἀρείος πόντος; nihil
constantius, nihil severius, nihil fortius; nam cum dies venisset rogationi ex S. C.
ferendae, concursabant barbatuli iuvenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola
CVRIONIS; & populum, ut antiquaret, rogabant. PISO autem Consul, lator
rogationis, idem erat dissuasor; operae CLODIANAE pontes occuparant; ta-
bellae ministrabantur, ita ut nulla daretur VTI ROGAS; hic tibi Rostra CATO
advolat, convicium PISONI Consuli mirificum facit; si id est convicium, vox
plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis; accedit eodem etiam
noster HORTENSIVS, multi praeterea boni; insignis vero opera FAVONII fuit.
Hoc concursu optimatum comitia dimittuntur: Senatus vocatur; cum decerneretur
frequenti Senatu, contra pugnante PISONE, ad pedes omnium singillatim acce-
dente CLODIO, ut Consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam;
homines ad XV. CVRIONI nullum S. C. facienti assenserunt: ex altera parte fa-
cile cccc. fuerunt; acta res est; FVFIVS Trib. tum concessit. CLODIVS con-
ciones miseras habebat, in quibus LVCVLLVM, HORTENSIVM, C. PISO-
NEM, MESSALLAM Consulem contumeliose laedebat; me tantum comperisse om-
nia criminabatur. Senatus & de provinciis Praetorum, & de legationibus, &
de caeteris rebus decernebat, ut ante, quam rogatio lata esset, ne quid ageretur.
Habes res Romanas; sed tamen etiam illud, quod non speraram, audi. MESSAL-
LA Consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator,
imitator; ille alter uno vitio minus vitiosus; quod iners, quod somni plenus, quod
imperitus, quod ἀπρακτότατος, sed voluntate ita καχέκτης, ut POMPEIVM post
illam concionem, qua ab eo Senatus laudatus est, odisse coeperit; itaque mirum in
modum omnes a se bonos alienavit; neque id magis amicitia CLODII adductus
facit, quam studio perditarum rerum, atque partium; sed habet sui similem in
magistratibus, praeter FVFIVM, neminem; bonis utimur Tribunis pleb. COR-
NVTO vero pseudocatone. Quid quaeris? nunc ad privata redeam, TEVCRIS
promissa patravit; tu mandata effice, quae recepisti. QVINTVS frater, qui
Argiletani aedificii reliquum dodrantem emit H-S DCCXXV, Tusculanum vendi-
tat, ut si possit, emat Facilianam domum. Cum LVCEIO in gratiam redi;
video hominem, valde petitur; renovabo operam. Tu, quid agas, ubi sis, cuius-
modi istae res sint, fac me quam diligentissime certiolem. Idibus Febr.

IN DVODECIMAM EPISTOLAM.



ereor ne putidum sit scribere ad te
quam sim occupatus.] Quid
opus est amicos excusare oc-
cupationes suas, quasi ad ho-
mines ignotos scribas? Puti-
dum ergo ineptum dici videtur.
CICERO in epistola ad C. Caes-
sarem, Totum denique hominem tibi trado, de ma-
nu (ut aiunt) in manum tuam istam, & victoria
& fide praestantem. Simus enim putidiusculi
quam per te vix licet.

Prima concio Pompeii qualis fuisset scripsi ad

te antea.] Quam post reditum primam habue-
rat, de qua puto intelligenda verba illa in episto-
la superiore, Nihil come, nihil simplex, nihil
ἐν τοῖς πολιτικαῖς honestum, illustre, nihil forte,
nihil liberum.

Levissimus Tribunus plebis.] Hunc CICERO
in epistola quadam ad Sestium Qu. Fusium vocat.

In concionem produxit Pompeium.] Privatis
cum populo agere ius non erat, nisi data con-
cione a magistratu.

Res agebatur in Circo Flaminio.] Circi a figu-
ra dicti sunt, & si non plane circuli figura erant:

in iis ludi fiebant, ut testis est M. TULLIUS libro II. de legibus: omnes enim ludos scribit *Cavea & circo distingui*: hoc est, partim in Theatro, partim in circis fieri. *Flaminius* autem addit, quoniam & alius circus erat Romae, qui *Maximus* vocabatur.

Et erat in eo ipso loco illo die nundinarum πανήγυρις] VARRO libro de re rustica secundo, *Itaque annum ita dividerunt maiores nostri, ut nonis modo diebus urbanas res usurparent, reliquis otio ut rura colerent.*

Quaesivi ex eo, placeret ne ei, Iudices legi a Praetore, quo consilio idem Praetor uteretur.] Id fuerat a Senatu constitutum, & ea erat rogatio, quae de Clodiana religione a COSS. ferebatur, ut Praetor Urbanus ex ordine Senatorio, Equestri & Tribb. aeriis (penes quos tum erant iudicia) deligeret, quos sibi in consilio adesse vellet. Quod quoniam erat novum, solebat enim & ab accusatore, & a reo Iudicium reiectio fieri, rogatione ad eam rem erat opus.

Vt omnia illius ordinis consulta γενικώς laudaret.] Generatim, de eo vero de quo rogabatur, verbum nullum faceret.

Mihi ut affedit.] Ex hoc loco intelligimus, stantes Senatores sententias dixisse.

Satis ab se etiam de istis rebus esse responsum.] Satis probavisses s. c. de religione Clodiana & de rogatione, qui omnia s. c. laudarat.

Ex eo quod hinc suspicarentur homines ei meum consulatum placere.] Ex eo quod Pompeius omnia s. c. laudarat, suspicabantur homines Consulatum Ciceronis ei placere, in quo nihil ille gesserat, nisi de Senatus sententia.

Et tamen ab illo aperte, recte quicquid est datum, lubenter accepi.] Quanquam Pompeius non aperte laudarat meum Consulatum, tamen ita ei aperte egi gratias, quasi non recte, sed aperte laudasset.

Ego autem di boni quomodo ἀνεπεπρασάμην novo auditori Pompeio.] VICTORIVS erudite, ut omnia, hunc locum ita emendavit: ego tamen dicam quod sentio, ἀνεπεπρασάμην novo auditore Pompeio scriptum fuisse puto, hac sententia, *Me autem, di boni, quomodo praesentia novi auditoris Pompeii incendit & inflammavit ad dicendum?*

De Equestri concordia.] Cum ordine Senatorio, constituta a Cicerone in Consulatu.

De immortalis reliquias coniurationis.] Lex Luctatia de vi fumantes reliquias coniurationis extinxit. M. TULLIUS in oratione pro Caelio, *De vi quaeritis: quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet. Quam legem Qu. Catulus armata dissensione civium reipub. pene extremis temporibus tulit, quaeque lex sedata illa flamma Consulatus mei fumantes reliquias Coniurationis extinxit.*

De utilitate, de otio.] Scriptum fuisse puto, *De tranquillitate, de otio.*

Nam cum dies venisset rogationi ferendae.] Lex per trinundinum promulgabatur, ut populo esset potestas cognoscendi, & tum denique ferebatur.

Totus ille grex Catilinae.] Omnes illi adolescentes qui Catilinam sectabantur. SALLUSTIUS in coniuratione Catilinae, *Sed maxime iuvenum vel adolescentum familiaritates appetebat.* CICERO in Oratione pro Caelio, *Hoc enim adolescente scitis consulatum mecum perisse Catilinam: ad quem si accessit, aut si a me discessit unquam, quanquam multi boni adolescentes illi homini nequam atque improbo studuerunt, &c.*

Duce filiola Curionis.] C. Curione C. Curionis filio, quem, quoniam delicatus, mollis, & effoeminatus erat, *filiolam Curionis* vocat.

Operae Clodianae pontes occupant.] Ut boni non possent accedere. In pontibus ferebantur suffragia quemadmodum ex hoc loco intelligimus & ex libro de legibus tertio, in quo scriptum sic est, *Quae lex hanc sententiam continet ut omnes leges tollerent, quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium. NEQVIS INSPICIAT NE APPELLAT.* Pontes etiam lex Maria fecit *angustos.* Quae si opposita sunt *ambitiosis, &c.*

Tabellae ministrabantur, ita uti nulla daretur, VTI ROGAS.] In tabellis tum suffragia ferebantur *lege Cassia tabellaria.* Qui autem rogationem suo suffragio confirmabat, tabellam coiciebat, in qua scripta erant haec verba, *VTI ROGAS.* Unde apud CICERONEM libro II. de legibus, Atticus, cum Cicero legem recitasset, *Suade, inquit, igitur, si placet istam ipsam legem, ut ego VTI ROGAS possim edicere.* Sic enim locus ille emendandus est.

Vt Consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam.] Id Senatus decernebat, quoniam animadversum fuerat, Pisonem legem dissuadere quam ferebat.

Acta res est.] Factum Senatus consultum est.

Fufius tertium concessit.] Alii libri, *Fufius tertium Consul cessit:* ut mihi videatur scriptum fuisse, *Fufius hortatu Consul intercessit;* hac sententia, Fufius tribunus plebis huic s. c. hortatu Pisonis Consul, qui nolebat populum ad rogationem accipiendam propter Clodii amicitiam hortari, intercessit.

Clodius conciones miseras habebat.] Conciones hic *miseras* vocat, quas in oratione pro Milone, *intermortuas.*

Me tantum comperisse omnia criminabatur.] Nihil me poterat Clodius criminari, nisi quod omnia compereram. Iocatur ergo Cicero.

Et de legationibus.] De legatis provinciarum audiendis, quibus mense Februario Senatus extra urbem dabatur *lege Gabinia,* CICERO oratione in Verrem tertia, quem ego librum primum voco, *Sunt, inquit, Romae legati Milesii homines nobilissimi ac principes civitatis, qui tamen si mensem Februarium & COSS. designatorum*
nomen

namer expectant, tamen hoc tantum facinus non modo negare interrogati, sed ne producti quidem reticere poterunt.

Quod iners.] Qui proprie inertes nominentur, explicat CICERO libro de Finib. II. iis verbis, Sed lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes a maioribus nominabantur. Quo in loco artes maximas virtutes dicit.

Cornuto pseudocatone.] Altero Catone, tantam in hac causa adhibet gravitatem & constantiam.

Teucris promissa patravit.] Pecuniam mihi expedivit.

Qu. frater qui Argiletani aedificii reliquum dodrantem emit HS. DCCXXV. &c.] Quintus Ciceronis frater in aedificio Argiletano quadrantem habebat, hoc est, partes ex toto assē tres, reliquum dodrantem, hoc est reliquas novem partes postea emit HS. septingentis viginti quinque millibus. Quemadmodum as in XII. partes,

ita & omnis haereditas, omne aedificium in XII. partes dividitur, quae nominibus partium Assis appellatur.

Cum Luceio in gratiam redi, video hominem, valde petitur, renovabo operam.] Alii legunt, Video hominem valde poenitere, renovabo operam. Atticus cum vidisset animum Luceii ita in iracundia obstinatum & affirmatum ut moveri non posset, neglexerat, neque iam ad eum communes amicos de reconciliatione mittebat: poenitere itaque iam Luceium poterat quod se tam durum, & inexorabilem Attico praeberat. Quare Cicero ab Attico petit, ne negligat cum Luceio in gratiam redire: pertinere enim id ad eius officium.

Cuiusmodi istae res sunt.] Quid agat Antonius, quomodo Achaecos tractet, eequid Achaei de Antonio querantur tam graviter, quam hic hominum sermo est, denique quomodo se habeat ista provincia.

Asiam QUINTO, suavissimo fratri, obtigisse audisti; non enim dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quam illius nostrum literae nuntiarint; nunc quoniam & laudis avidissimi semper fuimus, & praeter caeteros Φιλέλληνες & sumus, & habemur, & multorum odia, atque inimicitias Reipubl. causa suscepimus; παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκω; curaque effice, ut ab omnibus & laudemur & amemur. His de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam ipsi QUINTO dabo. Tu me, velim, certiore facias, quid de meis mandatis egeris, atque etiam, quid de tuo negotio; nam ut Brundisio profectus es, nullae mihi abs te sunt redditae literae; valde haveo scire quid agas. Idib. Mar.

IN DECIMAM TERTIAM EPISTOLAM.



Asiam Quinto suavissimo fratri obtigisse audisti. Asia provincia intra Taurum erat. CICERO in oratione pro P. Sestio, Antiochum illum magnum, magna belli contentione maiores terrarum marique superatum intra montem Taurum regnare iusserunt: Asiam qua illum multarunt Attalo ut is regnaret in ea condonaverunt. Constabat autem Asia ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. CICERO in oratione pro Flacco, Quamobrem quaeso à vobis Asiatici testes ut cum vere recordari vultis quantum auctoritatis in iudicium afferatis, vosmetipsi describatis Asiam, nec quid alienigenae de vobis loqui soleant, sed quid vosmetipsi de genere vestro statuatis, meminertis. Nam, ut opinor Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia, &c.

Et praeter caeteros Φιλέλληνες & sumus & ha-

bemur.] Quoniam praeter caeteros Graecae nationis amantes sumus, eos tibi maiorem in modum commendo, ne quam eis iniuriam fieri sinas, & bene & humaniter tractentur a Qu. fratre meo, cui non satis confido. Etiam tum Atticum putabat legatum Quinto fratri in Asiam profecturum. Verum quid est quod legato Asiatico Graecos commendat? An in Asia etiam erant Graeci? sic est. CICERO in oratione pro Flacco, Graecia Asiae maritimam oram bello superatam cinxit urbibus, non ut munitam coloniis illam auget gentem, sed ut obsessam teneret.

παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκω.] Virtutem omnem explica. Fac fratrem excites ad omnem bene audiendi partem. Homericum est Hemistichium. Vide ERASMVM in proverbio, Virtutem omnem explica.

QVAERIS ex me, quid acciderit de iudicio, quod tam praeter opinionem omnium factum sit: & simul vis scire, quo modo ego minus quam soleam, proeliatum sim: respondebo tibi ὕστερον πρότερον, δημοτικῶς. Ego enim, quam diu Senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter, & vehementer proeliatum sum, ut clamor, concursusque maxima cum mea laude fierent; quod si tibi unquam sum visus in Republ. fortis, certe me in illa causa admiratus esses; cum enim ille ad conciones confugisset; in iisque meo nomine ad invidiam uteretur, dii immortales quas ego pugnans, & quantas strages edidi? quos impetus in PISONEM, in CURIONEM, in totam illam manum feci? quo modo sum insectatus levitatem senum, libidinem iuventutis? saepe, ita me dii iuvent, te non solum auctorem consiliorum meorum, verum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideravi; postea vero quam HORTENSIVS excogitavit, ut legem de religione FVFIUS Tribunus pleb. ferret; in qua nihil aliud a Consulari rogatione differebat, nisi iudicum genus; (in eo autem erant omnia) pugnavitque, ut ita fieret; quod & sibi, & aliis persuaserat, nullis illum iudicibus effugere posse: contraxi vela, perspicuens inopiam iudicum; neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum, atque testatum, ut non possem praeterire; itaque, si causam quaeris absolutionis, (ut iam πρὸς τὸ πρότερον revertar) egestas iudicum fuit, & turpitude. Id autem ut accideret, commissum est HORTENSII consilio: qui dum veritus est, ne FVFIUS ei legi intercederet, quae ex s. c. ferebatur, non vidit illud, satius esse, illum in infamia relinqui ac sordibus, quam infirmo iudicio committi; sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium; cum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. Sed iudicium, si quaeris, quale fuerit? incredibili exitu; sic, uti nunc ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipso initio consilium HORTENSII reprehendatur; nam ut reiectio facta est clamoribus maximis; cum accusator, tamquam Censor bonus, homines nequissimos reiiceret: reus, tamquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret; ut primum iudices confederunt; valde dissidere boni coeperunt; non enim unquam turpior in ludo talario confessus fuit; maculosi Senatores, nudi Equites, tribuni non tam aerati, quam, ut appellantur, aerarii; pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat; qui moesti inter sui dissimiles, & moerentes sedebant, & contagione turpitudinis vehementer permovebantur; hic, ut quaeque res ad consilium primis postulationibus referebatur, incredibilis erat severitas, nulla varietate sententiarum: nihil impetrarat reus: plus accusatori dabatur, quam postulabat: triumphabat (quid quaeris?) HORTENSIVS se vidisse tantum: nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur; me vero teste producto, credo te ex acclamatione CLODII advocatorum audisse, quae consurrectio iudicum facta sit, ut me circumsteterint, ut aperte iugula sua pro meo capite P. CLODIO ostentarent; quae mihi res multo honorificentior visa est, quam aut illa, cum iurare tui cives XENOCRATEM testimonium dicentem prohibuerunt; aut cum tabulas METELLI NUMIDICI, cum haec, ut mos est, circumferrentur, nostri iudices aspicere noluerunt; multo haec, inquam, nostra res maior. Itaque iudicum vocibus, cum ego sic ab iis, ut salus patriae, defenderer, fractus reus, & una patroni omnes conciderunt; ad me autem eadem frequentia postridie convenit, qua cum abiens Consulatu sum domum reductus; clamare praeclari Ariopagitae, se non esse venturos, nisi praesidio constituto; refertur ad consilium; una sola sententia praesidium non desideravit; defertur res ad Senatum; gravissime, ornatissimeque decernitur: laudantur iudices: datur negotium magistratibus: responsurum hominem nemo arbitrabatur; ἔσπετε ὧν μοι μῆσαι, Ὅπως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε; nosti CALVVM, ex Nanneianis illum, illum laudatorem meum, de cuius

oratione erga me honorifica ad te scripseram; biduo per unum servum, & eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium: accersivit ad se, promisit, intercessit, dedit; iam vero (ó dii boni, rem perditam) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones non nullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt; ita, summo discessu bonorum, pleno foro servorum, XXV. iudices ita fortes tamen fuerunt, ut, summo proposito periculo, vel perire maluerint, quam perdere omnia; XXXI. fuerunt quos fames magis, quam fama, commoverit; quorum CATVLVS cum vidisset quendam, Quid vos, inquit, praesidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? Habes, ut brevissime potui, genus iudicii, & causam absolutionis. Quaeris deinceps, qui nunc sit status rerum, & qui meus; Reipub. statum illum, quem tu meo consilio, ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione, & auctoritate Consulatus mei fixus, & fundatus videbatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc iudicio: si iudicium est, triginta homines populi Romani levissimos, ac nequissimos, nummulis acceptis, ius, ac fas omne delere, & quod omnes non modo homines, verum etiam pecudes factum esse sciant, id, Talnam, & Plautum, & Spongiam, & caeteras huiusmodi quisquillas statuere, numquam esse factum; sed tamen, ut te de Reipub. consoler, non ita, ut sperarunt mali, tanto imposito Reipub. vulnere, alacris exultat improbitas in victoria; nam plane ita putaverunt, cum religio, cum pudicitia, cum iudiciorum fides, cum senatus auctoritas concidisset, fore, ut aperte victrix nequitia, ac libido poenas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas Consulatus mei. Idem ego ille, (non enim mihi videor insolenter gloriari, cum de me apud te loquor, in ea praesertim epistola, quam nolo aliis legi) idem, inquam, ego recreavi afflictos animos bonorum unumquemque confirmans, excitans; insectandis vero, exagitandisque nummariis iudicibus, omnem omnibus studiosis, ac fautoribus illius victoriae παρρησίαν eripui: PISONEM Consulem nulla in re consistere unquam sum passus: desponsam homini iam Syriam ademi: Senatui ad pristinam suam severitatem revocavi, atque abiectum excitavi: CLODIVM praesentem fregi in senatu, cum oratione perpetua, plenissima gravitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes; nam caetera non possunt habere neque vim, neque venustatem, remoto illo studio contentionis, quem ἀγώνος vos appellatis. Nam, ut Idib. Maii in Senatum convenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa Republica, atque ille locus inductus a me est divinitus; ne una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent: vulnus esse eiusmodi, quod mihi nec dissimulandum, ne pertimescendum videretur: ne aut ignorando stultissimi iudicemur; bis absolutum esse LENTVLVM, bis CATILINAM: hunc tertium iam esse a iudicibus in Remp. immissum. Erras CLODI, non te iudices urbi sed carceri reservarunt; neque te retinere in civitate, sed exilio privare voluerunt. Quamobrem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem; manet illa in Rep. bonorum consensio: dolor accessit bonis viris; virtus non est imminuta: nihil est damni factum novi: sed, quod erat, inventum est in vivus hominis perditum iudicio; plures similes reperti sunt. Sed quid ago? paene orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Surgit pulchellus puer: obiicit mihi me ad Baias fuisse; falsum: sed tamen quid hoc? simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse; quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit: nosti enim Marinas. Quousque, inquit, hunc regem feremus? regem appellas, inquam, cum Rex tui mentionem nullam fecerit?

rit? ille autem Regis haereditatem spe devorarat. Domum, inquit, emisti; putes, inquam, dicere, iudices emisti: iuranti, inquit, tibi non crediderunt; mihi vero, inquam XXV. iudices crediderunt: XXXI, quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt; magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. Noster autem status est hic; apud bonos iidem sumus, quos reliquisti; apud sordem urbis, & faecem multo melius nunc, quam reliquisti; nam & illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse; missus est sanguis invidiae sine dolore, atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitii rem manifestam illam redemptam esse a iudicibus consententur. Accedit illud, quod illa concionalis birudo aerarii, misera, ac ieiuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat: & bercule multa & iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus, usque eo, ut nostri isti commissatores coniurationis, barbatuli iuvenes, illum in sermonibus CNAEVM CICERONEM appellent; itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine ulla pastoricia fistula auferebamus; nunc est expectatio comitiorum: in qua omnibus invitis trudit noster Magnus AVLI filium: atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat, sed quibus PHILIPPVS omnia Castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere. Consul autem ille, DOTERIONIS histrionis similis, suscepisse negotium dicitur, & domi divisores habere: quod ego non credo; sed S. C. duo iam facta sunt, odiosa, quod in Consulem facta putantur, CATONE & DOMITIO postulante; unum, ut apud magistratus inquiri liceret; alterum, cuius domi divisores habitarent, adversus Remp. IURCO autem Tribunus pleb. qui magistratum simul cum lege Aelia iniit, solutus est & Aelia, & Fusia, ut legem de ambitu ferret; quam ille bono auspicio claudus homo promulgavit; ita comitia in ante diem VI. KAL. Sext. dilata sunt; novi est in lege hoc, ut, qui nummos in tribu pronuntiarit, si non dederit, impune sit; sin dederit, ut quoad vivat, singulis tribubus HS CIO CIO CIO debeat; dixi, hanc legem P. CLODIVM iam ante servasse: pronuntiare enim solitum esse, & non dare. Sed heus tu, videsne Consulatum illum nostrum, quem CVRIO antea ἀποδέωσιν vocabat, si hic factus erit, fabam inimicum futurum? quare, ut opinor Φιλοσοφητέον, id quod tu facis, & istos Consulatus non flocci εἰλέον. Quod ad me scribis, te in Asiam statuisse non ire, equidem mallet, ut ires: ac vereor, ne quid in ista re minus commode fiat; sed tamen non possum reprehendere consilium tuum, praesertim cum egomet in provinciam non sim profectus. Epigrammatis tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus, praesertim cum & CHILIVS nos reliquerit, & ARCHIAS nihil de de me scripserit: ac vereor ne, LVCVLLIS quoniam Graecum poema condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet. ANTONIO tuo nomine gratias egi; eamque epistolam MANLIO dedi. Ad te ideo antea rarius scripsi, quod non habebam idoneum, cui darem; nec satis sciebam, quid darem; vile te venditari. CINCIVS si quid ad me tui negotii detulerit, suscipiam; sed nunc magis in suo est occupatus; in quo ego ei non desum. Tu, si uno in loco es futurus, crebras a nobis literas, expecta; ast plures etiam ipse mittito. Velim, ad me scribas, cuiusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσία; & quae poemata, quasque historias de Ἀμαλθεῖα habes, ad me mittas; lubet mihi facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam; nihil erat absoluti.

IN DECIMAM QVARTAM EPISTOLAM.

ὑσερον πρότερον ἀμνησικῶς.] Praepostere. Prius enim respondebo, cur ego minus sim praeliatus quam solitus sim, tum vero quae causa fuerit absolutionis. Quae figura a Grammaticis & *πρωῦσερον*, & *ὑσερόπρωτον* appellatur, HOMERO familiarissima. Vide ERASMV M in proverbio, *Praepostere*.

In qua nihil aliud a rogatione Consulari differabat, nisi iudicum genus. In Fusiana rogatione non erat illud caput, ut Praetor Iudices legeret, quo consilio idem uteretur, sed tantum illud, ut si Clodius in opertum bonae deae accessisset, exularet. CICERO in *Paradoxo* ὅτι πᾶς ἀφρον μάλιστα, *Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut si in opertum bonae deae accessisset, exularet.*

Contraxi vela perspiciens inopiam Iudicum.] Cum viderem quanta Iudicum inopia laboraremus, repressi ipse me & continui. Sumptum autem est a nautis: qui ut tutius navigent saevo spirante vento vela contrahunt, vento languidiore pandunt, & explicant, ut auram captent. Vide ERASMV M in proverbio, *Contrahere vela*. Huius mihi contrarium videtur, *Plenis velis navigare, quo utitur M. TVLLIVS in Oratione pro domo sua.*

Neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non possem praeterire.] M. Tullius, cum Clodius defenderet se hora quadam noctis illius visum Interamnae, pro testimonio dixit, horis tribus ante Clodium a se Romae visum; iter autem illud horis tribus confici non poterat. Vnde illud est *libri secundi epistola prima* in Clodium, cui, cum diceret se septimo die a freto venisse, respondit M. TVLLIVS *nihil eum novi fecisse qui tribus horis Roma Interamnam introierat.*

Plumbeo gladio.] Plumbum hebes est: unde a TERENCE in *Adel*, *pro stolido homine* ponitur. Volebat ergo Hortensius Clodium nullis Iudicibus effugere posse.

Nam ut reiectio facta est clamoribus maximis.] Quemadmodum antea scripsimus, Iudices pro se edebat reus, pro se item accusator; tum utrinque reiectio fiebat, neque id sine magnis clamoribus & magna contentione: in eo enim erant omnia quinam Iudices federent.

Tanquam Censor bonus homines nequissimos reiceret.] Censores cum cives recensent, homines probrosos ordine movent.

Tanquam lanista clemens.] Magister ludi gladiatorii *Lanista* dicitur. Clementes autem lanistae, si qui in suo ludo bonae frugis sit, ei parcunt, neque eum ad plagas temere obiiciunt. Simile huic est Graecum illud *εὐνός σφαιρῆς*. Vide ERASMV M in proverbio, *Clemens lanista*.

Maculosi senatares.] Maculosos dicit aut *fordidos*, aut *infames*. CICERO in *Oratione pro*

domo sua, Quid? homini teterrimo, crudelissimo, fallacissimo, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimo, &c.

Tribuni non tam aerarii, ut appellantur, quam aerati. Tribuni quoque aerarii tum iudicabant. Tribuni autem aerarii erant, qui pecuniam publicam domi custodiebant. CICERO III. *de legibus*, EORVM QVIDAM TRIBVNI SVNTO: DOMI PECVNIAM PVBLICAM CVSTODIVNTO. *Pecuniam autem publicam* intelligo, non quae ex vectigalibus veniret, seu quae in urbe signabatur: illa enim Quaestoribus urbanis dabatur, & ab illis in aerario reponebatur. Neque putandum est ideo aerarios Tribunos dictos, quod aes ferirent & signarent. Tres enim viri ei rei praepositi erant, qui dicebantur *Tresviri aere, argento, auro, flando, feriundo*. CICERO in *epistola ad Trebatium*, cuius initium est, *Adeone me iniustum, Tresviro, inquit, vires censeo: audio esse capitales, mallet auro, aere, argento essent; sed alias vocabimur*. Erat tum in Gallia Trebatius cum Caesare, quo tempore cum Treviris bellum Caesar gerebat, hominibus bellicosissimis. De litibus tamen pecuniariis quibusdam Tribunos aerarios iudicasse dubium non est, cum eis *Gabinia lege* fuerit prohibitum *ne ex syngrapha ius dicerent*. Sed ad rem. *Tribuni, inquit, qui verius aerati possent appellari, quam quemadmodum appellantur aerarii: adeo alieno aere obruti sunt.*

Primis postulationibus.] Primas postulationes intelligo, quae fieri solent ante causae dictionem: qualis illa Aeschinis fuit, qui a Iudicibus petiit, ut Demosthenem evagari non sinerent, quales illae Vatini, cum in quadam causa patronus esset, postulationes a Cicerone Praetore, de quibus cum ambigeret Cicero, dixisse Vatinius. *ferunt, Atque ego de iis postulationibus non ambigerem, si Praetor essem.*

Credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audisse, quae consurrectio Iudicum facta sit, ut me circumsteterint, &c.] Sententia haec est, Credo tibi nunciatum clamore infesto ab advocatis Clodii sublato, quomodo Iudices ad unum omnes surrexerint, & Clodio pro mea salute sua corpora opposuerint. Ut legendum videatur, *Excitata acclamatione Clodii advocatorum.*

Cum iurare tui cives Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt.] Hac de re ita M. TVLLIVS in *oratione pro Balbo*, *Athenis aiunt, cum quidam apud eos, qui sancte graviterque vixisset, & testimonium publice dixisset, & (ut mos Graecorum est) iurandi causa ad aras accederet, una voce omnes Iudices ne is iuraret, reclamasse*. Iuraturi itaque ad aras accedebant, & sacris tactis iurabant. TITVS LIVIVS *Decadis tertiae, libro primo, Fama etiam est, Annibalem annorum ferme novem pueriliter blandientem patri Amilcari,*

ri, ut duceretur in Hispaniam, cum perfecto Africo bello exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum sacris tactis iureiurando adactum, se cum primum posset, hostem fore populo Romano.

Tui cives.] Pomponius civis Atticus non erat: adeptione enim alterius civitatis Romana civitas amittebatur. Vide NEPOTEM in vita Pomponii, & CICERONEM in oratione pro Balbo. Sed quoniam ita se Atticus Athenis collocarat, ut unus pene esset ex Atticis, civem eum Atticum multis locis vocat.

Aut cum tabulas Metelli Numidici: cum hae, ut mos est, circumferrentur, nostri Iudices aspiciere noluerunt.] Hac de re ita CICERO in oratione pro Balbo, *Audiui hoc de parente meo puer, cum Qu. Metellus L. F. causam de pecuniis repetundis diceret, ille ille vir, cui patriae salus dulcior quam conspectus fuit, qui de civitate decedere, quam de sententia maluit. Hoc igitur causam dicente, cum ipsius tabulae circumferrentur inspiciendi nominis causa, fuisse iudicem ex illis equitibus Romanis gravissimis viris neminem, quin removeret oculos & se totum averteret, ne forte quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam verumne an falsum esset videretur.*

Qua cum abiens Consulatu sum domum rediit.] Cum me Qu. Metellus Tribunus plebis abeuntem Consulatu concionis potestate privasset, neque mihi quicquam nisi ut iurarem permisisset, iurasseme ego pulcherrimum & verissimum iusiurandum, populum Romanum mea unius opera salvum esse: quod idem populus Romanus me vere iurasse iuravit. Vide orationem in Pisonem, & epistolam ad Metellum Celerem, cuius est initium, *Si tu exercitusque valentis, bene est.*

Datur negotium magistratibus.] Ut praesidium comparent, & in forum adducant.

ἔσπετε νῦν μοι μῦσαι.] Hoc Homericom hemistichio ad narrationem continuandam commodissime utimur, praesertim cum quid narrandum superest, quod is cui narramus minime expectet. ERASMVVS locum hunc in *Chiliadibus* citat.

Nosti Calvum ex Nanneianis illum, illum laudatorem meum.] Crassum sine dubio describit, de cuius oratione in se perhonorifica ad Atticum antea scripserat. Quid autem esset ex Nanneianis non intellexi, nisi posteaquam explicitus locus hic est a PAVLO MANVTIO. Eius ergo notationes in has epistolas vide.

Per unum servum & eum ex gladiatorio ludo, totum negotium confecit.] Conficere, verbum est gladiatoribus & percussoribus accommodatum.

Bonorum omnium.] Equitum & senatus.

Ac fas omne delere.] Absoluto eo quem religiones polluisse constabat.

Ne aut ignorando stultissimi iudicemur.] Ne aut ignorando stultissimi, aut timendo ignavissimi iudicemur, legendum puto.

Rogatus ego sententiam, multa dixi de summa repub.] Duobus modis ad senatum referebatur, aut finite de rebus singulis, aut infinite de Republica. Vide AVLVVM GELLIVM libro VI. cap. VII.

Bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam.] Lentulum Suram, cui Ciceronis iussu in carcere gula laqueo fracta est, bis absolutum dicit, bis item Catilinam. Lentulum semel absolutum lego apud PLVTARCHVM in vita Ciceronis, neque tamen quo crimine scribit PLVTARCHVS. Catilina repetundarum a P. Clodio accusatus est in petitione Consulatus, & eo iudicio absolutus est. Et Cicerone Consule alio quoque iudicio postulatus est, ex quo item evasit. Quod hoc posterius iudicium fuerit, non memini me legisse. CICERO in oratione pro P. Sylla. Duobus quidem illum iudiciis postulatum facit, priore de repetundis posterius quod fuerit, non dicit. *Quin etiam, inquit, parens tuus Torquate Consul reo de pecuniis repetundis Catilinae fuit advocatus. At idem non affuit alio in iudicio cum adessent caeteri. Ac aliquanto post, Ego qui Catilinam non laudavi, qui Catilinae reo COS. non adfui.*

Hunc tertium iam esse a iudicibus in rempub. immissum.] Homines improbi ex iudiciis multo infestiores reipub. hostes evadunt; itaque cum e iudiciorum laqueis emittuntur, in rempub. immittuntur.

Neque te retinere in civitate, sed exilio privare voluerunt.] Exilium inventum fuit ad supplicium effugiendum. Caesar apud SALLVSTIVM in coniuratione Catilinae, *Postquam, inquit, respublica adolevit, & multitudine civium factiones valere, circumveniri innocentes, alia huiusmodi fieri coepere, tum lex Porcia, aliaeque leges paratae, quibus legibus exilium damnatis permissum est; cum antea morem Graeciae imitati verberibus animadverterent in cives, de condemnatis supplicium sumerent.*

Pulchellus puer.] Clodius vixdum pubes. Clodii cognomento Pulchri erant.

Me ad Baias fuisse.] Ad calida balnea non ibant nisi homines delicati & molles. Vide ERASMVVM in proverb. *Teneri calidis balneis.*

Quid huic simile est inquam? quasi dicas in operto fuisse.] In operto Bonae deae. Vide CICERONEM in *Paradoxo* a nobis antea citato, *ὅτι πᾶς ἀφρων μάλιστα.*

Quid homini Arpinati cum aquis calidis?] Homini rusticano. Urbanorum haec sunt delicatorum.

Narra inquam patrono tuo qui Arpinates aquas concupivit. Nosti enim marinas. Clodiam Clodii sororem quam hic patronum Clodii videtur vocare, ad Ciceronis nuptias aliquando aspirasse scribit PLVTARCHVS in vita Ciceronis: usamque Clodiam ad eam rem opera cuiusdam Tullii Montani, Ciceronis familiaris. Quae autem Ci-

Ciceronis aquae marinae fuerint, non memini me legisse. Vide *epistol. lib. v. NEGOTIVM MAGNVM.*

Regem appellas, inquam, cum rex mentionem tui nullam fecerit.] Sorores tres habuit Clodius, unam nuptam cum Lucullo, alteram cum Qu. Martio rege, Terentiam nomine, tertiam cum Qu. Metello Celere Clodiam, cognomento *quadrantem*; quas omnes stuprassè dicebatur. CICERO in *orat. pro domo sua*, *Non plaris Clodius fecit bonam deam, quam tres sorores. Quintus igitur Martius rex, maritus Terentiae, Clodii sororis in testamento Clodium praeterierat, ita ut eius nullam prorsus mentionem fecerit: qua nulla maior affini aut cognato, aut denique necessario contumelia fieri poterat.* Itaque scribit SVETONIVS, Augustum aegerrime ferre solitum si ab aliquo suorum amicorum in testamento fuerat praeteritus; quod quemadmodum contumeliosum erat ei, qui praeteritus fuerat, ita & honorificum haeredem institui. CICERO in *oratione pro Quintio*, *Moritur in Gallia Quintius, cum adesset Naevius, & moritur repentino. Haeredem testamento reliquit hunc P. Quintium: ut ad quem summus moeror morte sua veniebat, ad eundem summus honos quoque perveniret.*

Domum inquit, emisti.] Obiicit Clodius Ciceroni id quod ei a Sallustio obiectum videmus, mercenarium eum esse patronum, & ex mercedibus patrocinatorum domum emisse: cum lege tamen *Cincia* prohibitum esset, nequis ob causam dicendam donum ullum, munusve caperet.

Mibi vero inquam, xx. Iudices crediderunt. PLVTARCHVS a xxv. iudicibus scribit damnatum Clodium, in *vita Ciceronis.*

Numos ante acceperunt.] Quam te liberarent & absolverent.

Missus est sanguis invidiae. Detractum aliquid est de nostra invidia. CICERO *libri sexti epistol. prima*, *Sic Appius cum ex ἀφαιρέσεως provinciam curavit, sanguinem miserit, quicquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam.*

Quod illa concionalis hirudo aerarii.] Infimam plebem quae ad conciones solet concurrere, quoniam & aerarium exhaurit, quemadmodum hirudo sanguinem, *Concionalem hirudinem aerarii* vocat.

Ludis & gladiatoribus.] Gladiatores a ludis separat; & certe non *ludos gladiatorios*, sed *munus gladiatorium* dari dicimus. Maximum vero populi Romani iudicium universo confessu gladiatorio declaratum est; erat enim munus Scipionis dignum & eo ipso, & illo Qu. Metello, cui dabatur. Ludi autem cavea & circo divisi erant, quemadmodum ex CICERONE antea dicebamus.

Mirandas ἐπισημασίας sine ulla fistula pastortia auferebamus.] ἐπισημασίαν CICERO significationem vertere videtur in *oratione Sestiana*, *Comitiorum*, inquit, & *concionum* significationes

interdum verae sunt, nonnunquam vitiatæ atque corruptæ. Ac paulo post, *Quae tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo Romano in causa hominis non popularis equidem audiebamus.* Ac rursus, *haec igitur innumerabilis hominum multitudo, haec populi Romani tanta significatio sine ulla varietate universi, quid declaravit, &c.* Significationes autem populi eas dicit, per quas populus quid sentiat declarat: plausum, sibilum, acclamationem, admurmurationem: per quae intelligitur quod populi sit iudicium & intimi civitatis sensus. Quid autem sit *sine fistula pastortia ἐπισημασίας* auferre non intelligo.

Nunc est expectatio in Comitiorum.] Nunc Comitiorum magna in expectatione sunt. In Comitiorum non memini me alibi apud CICERONEM legisse. Quod si per ἄλλεψιν dictum volumus, quid apponi potest, quo ex diminuto fiat plenum, equidem nihil video. An *causa*, an *ratione* deesse dicemus? ut plene dicatur, *In Comitiorum causa*, aut *ratione*. Mihi quidem non placet; scriptum fortasse fuit, *Nunc est expectatio ingens Comitiorum*: ea sententia quam initio diximus: nihil scilicet homines tam expectare quam Comitiorum.

Auli filium.] L. Africanum, de quo saepe postea scribet.

Philippus. Macedonum rex, Alexandri pater. Nota historia est.

Consul autem ille.] Pisonem intelligit.

Deterioris histrionis similis suscepisse negotium, &c.] Legendum puto, *Deterioris histrionis similis sui suscepisse negotium dicitur.*

Vt apud Magistratus inquiri.] Apud Praetores qui quaestionibus praeerant.

Cuiusmodi divisores.] Hi qui nummos in tribum dividebant, *divisores* dicebantur, quos eisdem PLAVTVS in *Amphytrione*, *Magistros curiae* vocat. Vna quaeque autem tribus suum divisorem habebat. CICERO *secunda oratione in Verrem*, *Divisores omnium Tribuum noctu ad istum vocatos.* Per quos commodissime suffragia populi corrumpi poterant. Interim vero non per divisores tribuum id tentabatur: sed homines alii inveniebantur, qui negotium susciperent: qui etiam *divisores* dicebantur. Haec ergo sententia est, ex quovis genere divisores apud Consulem habitarent, contra rempublicam esse. Illud autem *Cuiusmodi*, *cuiuscunque modi* significat. CICERO in *epistola ad Marcellum*, cuius est initium, *Etsi eo te adhuc, Cogitandum tibi tamen esset, Romaene & domi tuae cuiusmodi res esset, an Mitylenis aut Rhodi mallet vivere.* Cuius, pro cuiusque dixit TERENTIUS in *Heaut.* *Quae cuius ingenium ut sit declarat maxime.* Quos item pro quosque eadem scena, *Adhaec demirror, qui tam facile potueris Persuadere illi, quae solet quos spernere.* Quae, pro quaeque positum videmus in illo *senariolo citato a CICERONE* in

Oratore ad M. Brutum, Quam chara quae sint post carendo intelligas.

Lurco Tribunus plebis qui cum lege Aelia Tribunatum iniit.] Is cum lege Aelia Tribunatum iniit, quo magistratum ineunte reducta lex Aelia est, cum iam pene in civitate inciperet minus valere. Lege autem Aelia, de qua plura in Vatinianam interrogationem scripsimus, obnunciatio confirmabatur, hoc est, cavebatur ut obnunciati pareretur. Testis est ASCONIVS PAEDIANVS.

Solutus est & Aelia & Fusia, ut legem, &c.] Initio populus tantum aliquem legibus solvere poterat: temporis autem progressu & Senatus legibus solvere coepit. Testis ASCONIVS in Cornelianam. Fusia lege, (de qua item multa in Vatinianam interrogationem scripsimus) cavebatur, ut eo die quo de coelo servatum esset, cum populo nequis ageret. Legibus ergo & Aelia & Fusia solutus Lurco, omnibus diebus legem ferre poterat, neque obnunciati parere cogebatur.

Quam ille bono auspicio homo claudus promulgavit.] Hominem claudum M. Lurconem dicit: qui & si legem de ambitu ferre contra auspicia poterat: tamen bono auspicio promulgavit. Nisi forte dicamus id velle Ciceronem, in auspiciatum & infaultum fuisse quod homo claudus legem promulgarit. Neque mirum est corporum vitia observata esse: nomina ipsa hominum in omen vertebantur. Itaque neque praerogativa Centuriae dabatur unquam homini nominis ominosi, neque dux eligebatur nisi bene nominatus. LIVIVS decadis tertiae libro octavo, Sed illi non Atrium Umbrium Semitixam nominis etiam abominandi ducem, sed Decimum Iubellium, &c.

Ita Comitia in ante diem III. Calend. Sextiles dilata sunt. Ut antequam Comitia Consularia inirentur, lex perlata esset.

Novi est in lege hoc, ut qui, &c.] Multae iam erant in civitate leges de ambitu, ut nihil opus Lurconis hac lege fuerit, si nihil in ea esset novi, sed omnia translata.

Vt quoad vivat singulis tribubus HS. ∞ ∞ ∞ debeat.] Ut singulis tribubus quotannis quo ad vivat HS. ∞ ∞ ∞. debeat. De iis notis numerorum vide VICTORIVM in suis castigationibus.

Si hic factus erit, fabam mimum futurum?] Si hic, cuius Piso Consul negotium suscepisse dicitur, factus Consul erit Consulatus noster faba mimus futurus est. ERASMVVS in Chilibus, Fabam numum legit: & locum sic explicat, Vbi faba nummus est, ibi redemptum est suffragium: fabis enim olim suffragia ferebantur. Mihi M. TULLIVS aliud velle videtur, Consulatum scilicet suum, quem Curio divino consilio gestum dicebat, iocis materiam daturum, cum homines videbunt, reipub. statum illum tan-

ta ab eo diligentia constitutum, ab hoc Consule nullo negotio convelli. Quare non male, meo iudicio, scriberetur Laberii mimum futurum: Fabae & Laberii eadem pene sunt primae literae. Laberium autem scriptorem mimorum fuisse testis CICERO est in epistola ad Trebatium cuius est initium. Nisi ante Roma. Denique, inquit, si cito te retuleris, rumor nullus erit: si diutius frustra abfueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco. Mira enim persona induci potest Britannici Iureconsulti. LABERII mimos citat AVLVVS GELLIVS multis locis. Nam quod ERASMVVS de faba dicit, convenire non potest, cum Romae fabis nunquam lata sint suffragia: sed semper aut tabella, aut voce. Praeterea mihi vellem explicasset, quid esset Consulatum Ciceronis futurum corruptum suffragium: si ille Consul fieret, cuius Piso negotium susceperat.

Ne quoniam Lucullum Graecum poema condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet.] Archias quem Cicero iudicio civitatis defendit, res Luculli gestas Graecis versibus conscripsit: quemadmodum testis est M. TULLIVS in oratione pro Archia: opusque ipsum Lucullum inscripsit. Quae autem sit fabula Caecilianam ad quam veretur M. Tullius ne Archias spectet non intelligo: nisi forte fabulam Caecilianam vocet Qu. Caecili Metelli Pii res in Hispania gestas, qui ab Archia de suis rebus scribi cupiebat. CICERO in oratione pro Archia, Quid a Q. Metello pio familiarissimo suo, qui civitate multos donavit neque per se, neque per Lucullos impetravisset Archias? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet.

Epigrammatis tuis quae in Amaltheo posuisti contenti erimus, praesertim cum & Chilius nos reliquerit, & Archias nihil de nobis scripserit.] Chilius poeta erat quemadmodum antea diximus, Archias item poeta, qui res Ciceronis gestas in Consulatu versibus attigit atque inchoavit. Testis CICERO in oratione pro Archia: quorum carminibus scriptis de rebus suis, cogitabat Cicero gymnasii sui aditus & parietes exornare.

Antonio tuo nomine gratias egi.] M. Tullius Atticum qui in Antonii provincia negotia gerebat, Antonio commendaverat: quae epistola legitur libro v. earum epistolarum quae familiares appellantur. Attico Antonius cum satisfecisset, Attici nomine Antonio gratias egit Cicero.

Vale, te venditavi.] Locus corruptus est: scriptum fortasse fuit, Valde te venditavi: hoc est, laudavi.

Amaltheum tuum.] Amaltheum non villae nomen, sed gymnasii videtur, quod in villa fecerat Atticus: quemadmodum antea annotavimus.

Quod

Quod ad me scribis te statuisse in Asiam non ire.] Non uci legatione Qu. fratris.

Ac vereor nequid in ista re minus commode fiat.] Ne Quinti animum exulceratum iam & faucium grauius offendas.

Praesertim cum ego met in provinciam non sim

profectus.] Cicero ex Consulatu in provinciam Galliam proficisci noluit, sed eam in concione deposuit. Vide orationem in Pisonem, Epistolam item ad Qu. Metellum Celerem, cuius est initium, Si tu exercitusque valetis. Et epistolam primam libri secundi harum epistolarum.

MAGNA mihi varietas voluntatis, & dissimilitudo opinionis, ac iudicii QUINTI fratris mei, demonstrata est ex litteris tuis, in quibus ad me epistolarum illius exempla misisti; qua ex re & molestia sum tanta affectus, quantam mihi meus amor summus erga utrumque vestrum asserere debuit; & admiratione, quidnam accidisset, quod asferret QUINTO fratri meo, aut offensionem tam gravem, aut commutationem tantam voluntatis; atque illud a me iam ante intelligebatur, quod te quoque ipsum discedentem a nobis suspicari videbam, subesse nescio quid opinionis incommodae, fauciumque eius animum; & insedisse quasdam odiosas suspiciones: quibus ego mederi cum cuperem antea saepe, & vehementius etiam post sortitionem provinciae, nec tantum intelligebam ei esse offensionis, quantum literae tuae declarant; nec tantum proficiebam, quantum volebam; sed tamen hoc me ipse consolabar, quod non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachii, aut in istis locis uspiam visurus esset; quod cum accidisset; confidebam, ac mihi persuaseram fore, ut omnia placarentur inter vos non modo sermone, ac disputatione, sed conspectu ipso congressuque vestro; nam, quanta sit in QUINTO fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus & ad accipiendam, & ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere; sed accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti; valuit enim plus, quod erat illi nonnullorum artificii inculcatum, quam aut officium, aut necessitudo, aut amor vester ille pristinus, qui plurimum valere debuit. Atque huius incommodi culpa ubi resideat, facilius possum existimare, quam scribere; vereor enim, ne, dum defendam meos, non parcam tuis; nam sic intelligo; ut nihil a domesticis vulneris factum sit, illud quidem, quod erat, eos certe sanare potuisse; sed huiusce rei totius vitium, quod aliquanto etiam latius patet, quam videtur, praesenti tibi commodius exponam. De iis literis, quas ad te Thessalonica misit, & de sermonibus, quos ab illo Romae apud amicos tuos, & in itinere habitos putas; ecquid tantum causae sit, ignoro: sed omnis in tua posita est humanitate mihi spes huius levandae molestiae; nam, si ita statueris, & irritabiles animos esse optimorum saepe hominum, & eosdem placabiles; & esse hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiamque naturae plerumque bonitatis, & id quod caput est, nobis inter nos nostra sive incommoda, sive vitia, sive iniurias esse tolerandas; facile haec, quemadmodum spero, mitigabuntur; quod, ego, ut facias, te oro; nam ad me, qui te unice diligo, maxime pertinet, neminem esse meorum, qui aut te non amet, aut abs te non ametur. Illa pars epistolae tuae minime fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut provincialium, aut urbanorum commodorum, & aliis temporibus, & me ipso Consule, praetermiseris; mihi enim perspecta est ingenuitas, & magnitudo animi tui: neque ego inter me, atque te quicquam interesse umquam duxi, praeter voluntatem institutae vitae: quod me ambitio quaedam ad honorum studium, te autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit: vera quidem laude probitatis, diligentiae, religionis, neque me tibi, neque quemquam antepono; amoris vero erga me, cum a fraterno amore, domesticoque discessi, tibi primas defero; vidi enim, vidi, penitusque perspexi in meis variis temporibus & sollici-

tudines, & laetitia tuas; fuit mihi saepe & laudis nostrae gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata; quin mihi nunc, te absente, non solum consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quae mihi suavissima tecum solet esse, maxime deest; quid dicam? in publicane re? quo in genere mihi negligenti esse non licet; an in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam; nunc, ut dignitatem tueri gratia possim; an in ipsis domesticis negotiis? in quibus ego cum antea, tum vero post discessum fratris, te, sermonesque nostros desidero; postremo non labor meus, non requies; non negotium, non otium; non forenses res, non domesticae, non publicae, non privatae curere diutius tuo suavissimo, atque amantissimo consilio, ac sermone possunt. Atque harum rerum commemorationem verecundia saepe impedivit utriusque nostrum; nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolae tuae, per quam te, ac mores tuos mihi purgatos, ac probatos esse voluisti. Atque in ista incommoditate alienati illius animi, & offensi, illud inest tamen commodi, quod & mihi, & caeteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando testificata tua voluntas omittendae provinciae; ut quod una non estis, non dissensione, ac discidio vestro, sed voluntate; ac iudicio tuo factum esse videatur; quare & illa, quae violata, expiabuntur, & haec nostra, quae sunt sanctissime conservata, suam religionem obtinebunt. Nos hic in Rep. infirma, misera, commutabilique versamur; credo enim te audisse, nostros Equites pene a Senatu esse disiunctos; qui primum illud valde graviter tulerunt, promulgatum ex S. C. fuisse, ut de iis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quaereretur; qua in re decernenda cum ego casu non affuissem, sensissemque id Equestrem ordinem ferre moleste, neque aperte dicere; obiurgavi Senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate; & in causa non verecunda, admodum gravis, & copiosus fui. Ecce aliae deliciae Equitum, vix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. Asiani, qui de Censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se, cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse: ut induceretur locatio, postulaverunt; ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus; nam, ut illi auderent hoc postulare, CRASSVS eos impulit; invidiosa res, turpis postulatio, & confessio temeritatis; summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a Senatu; huic quoque rei subventum est maxime a nobis; perfectumque, ut frequentissimo Senatu, & libentissimo uterentur, multaque a me de ordinum dignitate, & concordia dicta sunt KAL. Decemb. & postridie; neque adhuc res confecta est, sed voluntas Senatus perspecta; unus enim contradixerat METELLVS Consul designatus; quin erat dicturus (ad quem propter diei brevitatem perventum non est) heros ille noster CATO; sic ego conservans rationem, institutionemque nostram, tuebor, ut possim, illam a me conglutinatam concordiam; sed tamen, quoniam ista sunt infirma, munitur quaedam nobis ad retinendas opes nostras tuta, ut spero, via, quam tibi litteris satis explicare non possum; significatione parva ostendam tamen; utor POMPEIO familiarissime; video, quid dicas; cavebo, quae sunt cavenda: ac scribam alias ad te de meis consiliis capeffendae Reip. plura. LVCEIVM scito Consulatum habere in animo statim petere; duo enim soli dicuntur petituri. CAESAR cum eo coire per ARRIVM cogitat: & BIBVLVS cum hoc se putat per C. PISONEM posse coniungi. Rides? non sunt haec ridicula, mihi crede. Quid aliud scribam ad te? quid? multa sunt: sed in aliud tempus. Te si expectari velis, cures, ut sciam; iam illud modeste rogo, quod maxime cupio, ut quamprimum venias. Nonis Decemb.

IN DECIMAM QVINTAM EPISTOLAM.



ereor enim, ne dum defendam meos non parcam tuis.] Significat Cicero huius offensionis culpam in Pomponia Attici sorore residere.

Nam si ita statueris, & irritabiles animos esse optimorum saepe hominum, & eosdem placabiles.] CICERO libro primo de legibus. Atqui cavendum est, solent enim id quod virorum honorum est, admodum irasci; quem locum corruptum non esse, ex hoc aperte videmus.

Te autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit.] CICERO libro officiorum primo, Multi autem sunt & fuerunt, qui eam quam dico tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se removerint, ad otiumque profugerint: in iis & nobilissimi philosophi longeque principes, & quidam homines severi & graves, nec populi nec principum mores ferre potuerunt, vixeruntque nonnulli in agris delectati sua re familiari. Ac aliquanto post, Qua propter & iis forsitan concedendum sit rempub. non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt, &c.

Credo enim, te audisse nostros Equites pene a Senatu esse disiunctos, qui primum illud valde graviter tulerunt promulgatum esse ex s. c. ut de iis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quaereretur.] In causa Clodiana. Hac quaestione Equites teneri volebant, non quod id sibi licere vellent, sed quod aequum non esset eos qui Iudices esse cogentur, eisdem legibus teneri, quibus Senatores, qui id petunt ut Iudices sint. CICERO pro Rabirio Posthumo, Potentissimo & nobilissimo Tribuno plebis M. Druso unam in Equestrem ordinem quaestionem ferenti, SI QVIS OB REM IUDICATAM PECUNIAM ACCEPISSET, aperte Equites Romani restiterunt. Quid? hoc licere volebant? minime; neque solum hoc genus pecuniae capiendae turpe, sed etiam nefarium arbitrabantur. Attamen ita disputabant, eos teneri legibus oportere, qui suo iudicio essent illam conditionem vitae secuti. Delectat amplissimus civitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, provinciae, sacerdotia, triumpho, deni-

que imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita: est simul etiam sollicitudo aliqua & legum, & iudiciorum maiorum quidam metus. Vide etiam defensionem Cluentianam.

Ecce aliae deliciae Equitum vix ferendae.] Delicias ineptias vocat. CICERO in Bruto, At vero ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalnum reperisset, ob eamque rem aedificare navem concupivisset exorsus est. Idem in Oratore ad M. Brutum, Longissime tamen ipsi a talibus deliciis vel ineptiis potius abfuerunt.

Asiani qui de Censoribus conduxerunt, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse. Asiae vectigalia Censores locabant. CICERO lib. in Verrem quinto, quem ego tertium facio, Inter Siciliam Iudices caeterasque provincias in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quod caeteris aut impostum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis & plerisque Paenorum, quasi victoriae praemium ac poena belli, aut Censoria locatio constituta est, ut Asiae lege Sempronia. Vide etiam epistolam illam ad Quintum fratrem longissimam.

Metellus c. o. s. designatus.] Qu. Metellus Celer frater Quinti Metelli Nepotis.

Qui erat dicturus.] Scriptum fuisse puto post quem erat dicturus.

Ad quem propter diei brevitatem perventum non est.] s. c. aut ante exortum, aut post occasum solis factum ratum non erat. Vide AVL. GEL. lib. 14. cap. 7.

Video quid dicas: cavebo quae sunt cavenda.] Pompeio non omnia credam.

Caesar cum eo coire per Arrium cogitat.] Ad Bibulum excludendum. Coire autem dicebantur ii, quorum alter alteri suas tribus dabat. De coitione Caesaris & Luceii Vide SVETONIUM in D. Iulio.

Multa sunt, sed in aliud tempus expectare velis cures ut sciam.] Legendum puto, Multa sunt, sed in aliud tempus reserventur. Tu ad quod tempus te expectari velis, cures ut sciam.

NIHIL mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, quocum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem: qui me amet, qui sapiat, quicum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam; abest enim frater ἀφελές αἶλος, & amantissimus: METELLVS non homo, sed littus, atque aër, & solitudo mera: tu autem, qui saepissime curam, & angorem animi mei sermone, & consilio levasti tuo; qui mihi & in publica re socius, & in privatis omnibus conscius, & omnium meorum sermonum, & consiliorum particeps esse soles, ubinam es? ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam,

quantum cum uxore, & filiola, & mellito CICERONE consumitur; nam illae ambitiosae nostrae fucosaeque amicitiae sunt in quodam splendore forensi; fructum domesticum non habent; itaque, cum bene completa domus est, tempore matutino, cum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quocum aut iocari libere, aut suspirare familiariter possumus; quare te expectamus, te desideramus, te iam etiam arcessimus; multa enim sunt, quae me sollicitant, anguntque, quae mihi videor, aures nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse. Ac domesticarum quidem sollicitudinum aculeos omnes, & scrupulos occultabo: neque ego huic epistolae, atque ignoto tabellario committam; atque hi (nolo enim te permoveri) non sunt permolesti, sed tamen insident, & urgent, & nullius amantis consilio, aut sermone requiescunt. In Rep. vero, quamquam animus est praesens, tamen voluntas etiam atque etiam ipsa medicinam effugit; nam, ut ea breviter, quae post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse; etenim post profectiorem tuam primus, ut opinor, introitus fuit in causam fabulae Clodianae: in qua ego nactus, ut mihi videbar, locum rescandae libidinis, & coercendae iuventutis, vehemens fui, & omnes profudi vires animi, atque ingenii mei, non odio adductus alicuius, sed spe Reip. corrigendae, & sanandae civitatis; afflictam Resp. est empto, stupratoque iudicio; vide, quae sint postea consecuta. Consul est impositus is nobis, quem nemo praeter nos philosophos aspicere sine suspiratu posset; quantum hoc vulnus? facta S. C. de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata, exagitatus Senatus, alienati Equites Romani: sic ille annus duo firmamenta Reip. per me unum constituta, evertit: nam & Senatus auctoritatem abiecit; & ordinum concordiam disiunxit. Instat hic nunc ille annus egregius; eius initium eiusmodi fuit, ut anniversaria sacra Iuventutis non committerentur; nam M. LUCULLI uxorem MEMMIUS suis sacris initiavit. MENELAVS, aegre id passus, divorcium fecit; quamquam ille pastor IDEVS MENELAVM solum contempserat: hic noster PARIS tam MENELAVM, quam AGAMEMNONEM liberum non putavit. Est autem C. HERENNIUS quidam Tribunus pleb. quem tu fortasse ne nosti quidem: tamen si potes nosse: tribulus enim tuus est; & SEXTVS, pater eius nummos vobis dividere solebat; is ad plebem P. CLODIVM traducit; idemque fert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re CLODII ferat; hunc ego accepi in Senatu; ut soleo: sed nihil est illo homine lentius. METELLVS est Consul egregius, & nos amat; sed imminuit auctoritatem suam, quod habet dicis causa promulgatum illud idem de CLODIO. AVLI autem filius, o dii immortales! quam ignavus, ac sine animo miles? quam dignus, qui PALICANO, sicut facit, os ad male audiendum quotidie praebeat? Agraria autem promulgata est a FLAVIO, sane levis, eadem fere, quae fuit Plotia; sed interea πολιτικὸς ἀνὴρ & δὲ ὄναρ quisquam inveniri potest; qui poterat, familiaris noster (sic est enim, volo te hoc scire) POMPEIUS togulam pictam silentio tuetur suam. CRASSVS verbum nullum contra gratiam; caeteros iam nosti: qui ita sunt stulti, ut amissa Repub. piscinas suas fore salvas sperare videantur; unus est, qui curet, constantia magis, & integritate, quam, ut mihi videtur, consilio, aut ingenio, CATO; qui miseros Publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem vexat, neque iis a Senatu responsum dari patitur; ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere ante, quam Publicanis responsum sit; quare etiam legationes reiectum iri puto. Nunc vides, quibus fluctibus iactemur: & si ex iis, quae scripsimus, tanta etiam a me non scripta perspicias; revise nos aliquando, & quamquam sunt haec fugienda, quo te voco, tamen fac, ut amorem nostrum
tanti

tanti aestimes, ut eo vel cum bis molestiis perfrui velis; nam, ne absens censeare, curabo edicendum, & proponendum locis omnibus; sub lustrum autem censeari, germani negotiatoris est; quare cura, ut te quamprimum videamus. Kal. Febr. Q. METELLO, & L. AFRANIO COSS.

IN DECIMAM SEXTAM EPISTOLAM.



Metellus non homo, sed litus atque aër & solitudo mera.] Litus cum hominem vocamus, qui nos neque consilio, neque consolatione quicquam iuvat. Refertur ab ERASMO proverbium, *Litori loqueris*: quod ille dici vult, in eos, qui frustra vel suadent vel orant: perinde quasi surdo loquantur. Nam *litora*, inquit, propter assiduum fluctuum fragorem, surda dicuntur. Aër item dici & solitudo potest: nam & proverbium apud Graecos est, ἀνέμῳ διαλέγεσθαι: & eadem sententia aliud, γῆ καὶ ἄρανῳ λαλεῖν solo & caelo loqui: quod aliud nihil est quam solitudini loqui.

Consul est nobis impositus is, &c.] L. Afranium Pompeius Consulem fecit, ut eo adiutore uteretur in perferenda lege Agraria. Vide DIONEM.

De ambitu.] Legem de ambitu Lurco Tribunus plebis ex s. c. ferebat: de qua epistola superiore.

De iudiciis.] Promulgata quoque lex fuerat ex s. c. ut de iis quaereretur, qui ob rem iudicandam pecuniam accepissent. Vide epistolam superiorem.

Alienati equites, quod erat quidem ob rem iudicandam.] Alienati equites a Senatu, quod ex Senatusconsulto promulgatum fuerat, qui ob rem iudicandam pecuniam accepissent, uti de iis quaereretur. Legibus quarum hoc erat initium, QVI, vel Quicumque, omnes tenebantur, tam plebs quam Senatus. Quae autem hoc initio erant, QVI Dictator, Consul, Praetor, Magister equitum Senatores tantum alligabat. CICERO in oratione pro Rabirio Posthumo, Glaucia solebat homo impurus, sed tamen acutus populum monere, ut cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet, si esset, DICTATOR, CONSVL, PRAETOR, MAGISTER EQVITVM ne laboraret: sciret ad se nihil pertinere; sin autem QVICVNQVE: post hanc legem videret, ne nova quaestione alligaretur. Vide etiam orationem pro Cluentio. Quare legendum putarim, Quod erat, QVI ob rem iudicandam, &c.

Vt anniversaria sacra iuventutis non committerentur.] Ludi iuvenales post compitalitios celebrabantur per lusus & lasciviam ab adolescentibus. Ludicrum autem erat, Turmae iuvenum pugnae speciem in equis exhibentes.

Suis sacris initiavit.] Vnaquaeque familia sua sacra propria gentis celebrabat: quae gentilitia a CICERONE in officiis dicuntur.

Menelaus aegre id passus.] M. Lucillum dicere videtur fratrem L. Luculli, qui illis temporibus Agamemnon dici poterat, hoc est rex regum: plurimum enim eius tum in repub. auctoritas valebat, & opes maximas habebat.

Quaquam ille pastor Ideus, Menelaum solum contempsit.] Paris ille Priami filius, qui pecus in Ida monte Phrygiae pascebat, Menelaum tantum iniuria affecit, cum Helenam illius uxorem rapuit.

Hic noster Paris tam Menelaum quam Agamemnonem liberum putavit.] Memmius tam M. Lucillum quam Lucium M. fratrem turpissime contempsit: quos sacra non habere existimavit, quae illorum uxores domi facerent, quae omnes liberi habeant, quare esse eos liberos non putavit.

Nummos vobis dividere solebat.] De divisoriis antea scripsimus, & quemadmodum unaquaeque tribus suum divisorem haberet, qui Magister Curiae dicebatur.

Is ad plebem P. Clodium traducit.] Is fert ut Clodio patricio ad plebem transire liceat. De iure adoptionum, vide M. TVLLIVM in oratione pro domo sua.

Vt populus universus in campo Martio.] Comitibus centuriatis.

Sed nihil illo homine lentius.] Sed nihil eum calefeci, neque mea oratione quicquam commoveri visus est.

Quod habet causam promulgatam illud idem de Clodio.] Quod rogationem illam eandem de traducendo Clodio ad plebem promulgatam habet, quam Herennius fert.

Auli autem filius.] Afranius.

A Flavio.] Authore pompeio.

Πολιτικὸς ἀνὴρ.] Qui curet causam publicam.

Togulam illam suam pictam.] Vestem triumphalem cum qua Pompeio in Senatum venire licebat. Pictura alia in tabulis, alia textilis est. M. TVLLIVS lib. in Verrem quarto, qui vulgo sextus dicitur, Nego ullam picturam neque in tabulis neque textilem fuisse, quin quaesierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit.

Craesus verbum nullum contra gratiam.] Contra legem Agrariam. Leges Agrariae, quibus fortunae tenuiorum constitui videntur, populo semper gratae fuerunt.

Caeteros iam nosti.] Hortensium & duos Lucullos intelligit.

Piscinas suas salvas fore sperare videantur.] Quintus Hortensius ad Baulos piscinas habebat, L. Lucullus ad Neapolim. Testis VARRO ultimo capite tertii de re rustica. Quo eodem loco de iis nobilium piscinis ita scribit, Illae autem nobilium piscinae, quibus Neptunus ut pisces ita aquam subministrat, magis ad oculos pertinent, quam ad vesicam, & potius domini marsupium exinaniant, quam replent.

Vnus est, qui curet constantia magis & integritate, quam, ut mihi videtur, consilio aut ingenio Cato.] In Catone constantiam laudat & integritatem, prudentiam autem requirit: qui cum optima fide in causa publica versetur, noceat tamen interdum reipub. sententiam enim dicit tanquam in Platonis politia, non tanquam in

fece Romuli. Vide libri secundi epistolam primam. Curare autem per se dixit, ut Graeci μέλλειν, & οἱ μέλλοντες.

Legationes reiectum iri puto.] De legationibus antea scripsimus, quemadmodum mense Februario audiebantur.

Ne absens censere.] Exaeto quinquennio censebatur civitas: civesque apud Censores modum facultatum profitebantur. Nolebat autem Atticus absens censeri, ne plaris eius facultates aestimarentur, ut fieri solet, absentibus dominis.

Germani negotiatoris est.] Veri negotiatoris, Negotiatores propter longas peregrinationes non coguntur ad lustrum adesse: satisque est, modo paulo post lustrum Romae sint. Atticus germanus negotiator non erat.

NON modo, si mihi tantum esset otii, quantum est tibi, verum etiam, si tam breves epistolas velim mittere, (quod tu soles facere) te superarem, & in scripto multo essem crebrior, quam tu: sed ad summas, atque incredibiles occupationes meas accedit, quod nullam a me epistolam ad te sino absque argumento, ac sententia pervenire. Et primum tibi, ut aequum est, civi amanti patriam, quae sunt in Rep. exponam: deinde, quoniam tibi amore nos proximi sumus, scribimus etiam de nobis ea, quae scire te non nolle arbitramur. Atque in Rep. nunc quidem maxime Gallici belli versatur metus; nam EDVI, fratres nostri, pugnant: SEQVANI permale pugnarunt: & HELVETII sine dubio sunt in armis, excursionisque in provinciam faciunt. Senatus decrevit, ut Consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliae civitates, darentque operam, ne eae cum HELVETIIS se iungerent; legati sunt Q. METELLVS CRETICVS, & L. FLACCVS, & τὸ ἐπὶ τῇ Φακῆ μέρει, LENTVLVS CLODIANI filius. Atque hoc loco illud non queo praeterire, quod, cum de Consularibus mea prima sors exisset, una voce Senatus frequens retinendum me in urbe censuit; hoc idem post me POMPEIO accidit: ut nos duo, quasi pignora Reip. retineri videremur; quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα expectem, cum haec domi nascantur? Urbanae autem res sic se habent. Agraria lex a FLAVIO Tribuno pleb. vehementer agitabatur auctore POMPEIO: quae nihil populare habebat, praeter auctorem; ex hac ego lege, secunda concionis voluntate, omnia tollebam quae ad privatorum incommodum pertinebant: liberabam agrum eum, qui P. MUCIO, L. CALPURNIO COSS. publicus fuisset: Syllanorum hominum possessiones confirmabam: VOLATERRANOS, & ARRETINOS, quorum agrum SYLLA publicarat, neque diviserat, in sua possessione retinebam: unam rationem non reiiciebam, ut ager hac adventicia pecunia emeretur, quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. Huic toti rationi agrariae Senatus adversabatur, suspicans POMPEIO novam quandam potentiam quaeri. POMPEIVS vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat; ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones: (is enim est noster exercitus; hominum, ut tute scis, locupletium) populo autem, & POMPEIO (nam id quoque volebam) satisfaciebam emptione: qua constituta diligenter, & sentinam urbis

ex-

exhauriri; & Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar; sed haec tota res interpellata bello refrixerat. METELLVS est Consul sane bonus, & nos admodum diligit; ille alter nihil ita est, ut plane, quid emerit, nesciat. Haec sunt in Rep. nisi etiam illud ad Remp. putes pertinere, HERENNIVM quendam, Tribunum pleb. tribulem tuum, sane hominem nequam, atque egentem, saepe iam de P. CLODIO ad plebem traducendo agere coepisse; huic frequenter interceditur. Haec sunt, ut opinor, in Rep. Ego autem, ut semel Nonarum illarum Decembrium, iunctam invidia, ac multorum inimicitiis, eximiam quandam, atque immortalem gloriam consecutus sum; non destiti eadem animi magnitudine in Rep. versari, & illam institutam, ac susceptam dignitatem tueri; sed postea quam primum CLODII absolute levitatem, infirmitatemque iudiciorum perspexi; deinde vidi nostros Publicanos facile a Senatu disiungi, quamquam a me ipso non divellerentur; tum autem beatos homines (hos piscinarios dico, amicos tuos) non obscure nobis invidere: putavi, mihi maiores quasdam opes, & firmiora praesidia esse quaerenda; itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, POMPEIVM adduxi in eam voluntatem, ut in Senatu non semel, sed saepe, multisque verbis huius mihi salutem imperii, atque orbis terrarum adiudicaret; quod non tam interfuit mea, (neque enim illae res aut ita sunt obscurae, ut testimonium, aut ita dubiae, ut laudationem desiderent) quam Reip. quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum POMPEIO, ex rerum illarum dissensione arbitrarentur; cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, ut uterque nostrum in sua ratione munitior, & in Rep. firmior hac coniunctione esse possit; odia autem illa libidinosae, & delicatae iuventutis, quae erant in me incitata, sic mitigata sunt comitate quadam mea, me unum ut omnes illi colant; nihil iam denique a me asperum in quemquam fit, nec tamen quicquam populare, ac dissolutum; sed ita temperata tota ratio est, ut Reip. constantiam praestem, privatis rebus meis, propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malivolorum, odium in me improborum, adhibeam quandam cautionem, & diligentiam, atque ita amem, si iis novis amicitii implicati sumus, ut crebro mihi vaser ille Siculus infusurret EPICHARMVS cantilenam illam suam:

Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπισεῖν ἄρθρα τὰῦτα τῶν Φρενῶν.

Ac nostrae quidem rationis, ac vitae quasi quandam formam, ut opinor, vides. De tuo autem negotio saepe ad me scribis, cui mederi nunc non possumus; est enim illud S. C. summa pedariorum voluntate nullius nostrum auctoritate factum; nam, quod me esse ad scribendum vides, ex ipso S. C. intelligere potes, aliam rem tum relatam, hoc autem de populis liberis, sine causa additum, & ita factum est a P. SERVILIO filio, qui in postremis sententiam dixit; sed immutari hoc tempore non potest; itaque conventus, qui initio celebrabantur, iam diu fieri desierunt, tu si tuis blanditiis tamen a Sicyoniis nummularum aliquid expresseris, velim, me facias certiolem. Commentarium Consulatus mei Graece compositum misi ad te; in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum, eruditumque videatur; non dicam quod tibi, ut opinor, Panormi LVCVLLVS de suis historiis dixerat; se, quo facilius illa probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam & σόλοικα dispersisse; apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit, & invito. Latinum si perfecero, ad te mittam; tertium poema expectato, ne quod genus a me ipso laudis meae praetermittatur; hic tu, cave, dicas, τίς πατέρ' αἰνήσει, si est enim apud homines quidquam, quod potius sit, laudetur; nos vituperemur, qui non potius alia laudemus; quamquam non ἐγκωμιαστικά sunt haec, sed ἰσορικά, quae scribimus. QVINTVS, frater purgat se multum per litteras, & affirmat, nihil a se cuiquam de te secus esse dictum; verum haec

nobis coram summa cura, & diligentia sunt agenda; tu modo nos revise aliquando. COSSINVS hic, cui dedi litteras, valde mihi bonus homo, & non levis, & amans tui visus est, & talis, qualem esse eum tuae mihi litterae nuntiarant. Idibus Mart.

IN DECIMAM SEPTIMAM EPISTOLAM.



Primum tibi, ut aequum est, civi amanti patriam.] Iocatur cum Attico qui Epicureus cum esset, non valde patriam amare debebat: omnia enim sua causa faciunt Epicurei, nihil suorum civium. Vide epistolam CICERONIS ad Trebatium, cuius initium est, Mirabar quid esset.

Hedui fratres nostri pugnant, Sequani male pugnarunt.] Ariovistus Germanus in colloquio, quod cum C. Caesare habet primo libro de bello Gallico, Quod ex s. c. inquit, Heduos appellatos amicos diceret, non se tam Barbarum, neque tam imperitum rerum, ut non sciret neque bello Allobrogum proximo Heduos romanis auxilium tulisse, neque ipsos in iis contentionibus quas Hedui secum & cum Sequanis habuissent auxilio populi Romani usos esse. Heduis autem hic a Senatu honor habitus est, ut saepenumero eos fratres consanguineosque populi Romani appellarit. Testis CAESAR lib. 1. de bel. Gal.

Sequani male pugnarunt.] Adversus quos? Heduos ne, qui cum Arvernibus & Sequanibus multos annos de Galliae principatu contenderunt, & tandem victi obsides Sequanibus dederunt, & stipendiarii facti sunt. An vero adversus ipsum Ariovistum, qui in eorum finibus confedit, tertiamque partem agri Sequanibus qui erat optimus totius Galliae, occupavit, & de altera etiam parte Sequanos decedere iussit. An vero adversus Allobroges? sic est. Vide DIONEM lib. xxxviii.

Vacationes ne valerent.] Tumultus ergo Gallicus, non bellum Gallicum id erat. M. TULLIVS Philippica octava, Gravius autem esse tumultum, quam bellum hinc intelligi potest, quod bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent.

Vt legati cum auctoritate mitterentur.] Legati cum auctoritate mitti videntur, qui ita mittuntur, ut quod ipsi fecerint Senatus ratum sit habiturus.

Quintus Metellus Creticus & L. Flaccus.] Quintus Metellus Creticus dictus est a Creta devicta. Vide FLORVM in epitome Liviana. Flaccus C. Marii in sexto Consulatu collega.

Et τὸ ἐπὶ τῆς Φακῆς μυστῆρ, Lentulus Clodiae filius.] De proverbio, in lente unguentum. Vide ERASMV. Quis autem sit hic Lentulus Clodiae filius, non habeo certum. Lentuli Clodiani meminit CICERO in Vatinius, & Cn. qui-

dam Lentulus Clodianus cum P. Licinio Crasso COS. fuit: cuius credo meminit GELLIVS ex SALLVSTIO libro xviii. cap. iiii.

Liberabam eum agrum qui Publio Mutio, L. Calphurnio COS. publicus fuisset.] Nolebam dividi eum agrum qui P. Mutio Scaevola L. Calphurnio Pisone populi Romani publicus fuisset: quibus COS. multum iam agri publici a privatis hominibus possidebatur, quemadmodum testis est PLVTARCHVS in vita Gracchorum: quas possessiones tanto intervallo nolebat Cicero turbare. His COS. interfectus est Tyberius Gracchus annis XLVI. ante primum L. Syllae Consulatum. P. hic Mutius Iurisconsultus fuit, quemadmodum PLVTARCHVS scribit eo loco quem citavi: cuius filius Qu. Scaevola fuit, ut scribit CICERO in Topicis. Agri autem publici, agri sunt vectigales: qui si dividantur & privati fiant, populi Romani vectigalia minuuntur.

Syllanorum hominum possessiones confirmabam.] Qui a Lucio Sylla agros & possessiones acceperant, quas ideo confirmabat Tullius, quia omnes fere locupletes homines a Sylla agros acceperant, quos alienare a se nolebat, neque vero rescindi poterant acta Syllae sine omnium rerum confusione. Municipiis quemadmodum scribit M. TULLIVS in oratione pro domo sua, Civitatem L. Sylla ademit, ademit eisdem agros, quos posteaquam publicaverat, vendebat, dividebat, & assignabat. Multorum tamen agros publicavit quos non divisit, neque assignavit: ut agrum Volaterranum & Artemitanum. CICERO in apostasmatio legis Agrariae, sic enim ab eo appellatur II. libro harum epistolarum, ea brevis in Rullum oratio quam nos tertiam facimus, Sunt enim multi agri lege Cornelia publicati, neque cuiquam assignati, neque venditi, qui a paucis hominibus impudentissime possidentur: his cavet, hos privatos facit, hos, inquam agros, quos Sylla nemini dedit Rullus non vobis assignare vult, sed eis condonare qui possident.

In sua possessione retinebam.] Volaterranis & Artemitanis relinqui.

Hac adventitia pecunia quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur.] Quantum Pompeius auxerit vectigalia populi Romani, scribit PLVTARCHVS in eius vita.

Pompeio novam quandam potentiam quaeri.] Pompeius ut suis militibus consulere, ideo ad hanc legem perferendam incubuerat. Vide DIONEM lib. xxxvii.

Illarum non. Decembrium.] Quo die de con-
iuratis sumptum supplicium est.

Iniquitatem malivolorum.] Invidiam nobili-
tatis.

Novis amicitiiis.] Pompeii.

Vasfer ille Siculus.] Quales omnes sunt insu-
lani. CICERO in divinatione in Verrem, de
Siculis loquens, *Vt est*, inquit hominum genus
acutum & suspiciosum.

ἄφε καὶ μέμνησο, &c.] Caveto, & nihil cre-
dito. Vide epistolam secundi libri, ANICATO.

De tuo autem negotio.] Quid hoc negotii sit,
divinare nemo potest, quod ego coniectura
assequor hoc est, Multi Sicyoniis mutuas pecu-
nias grandi foenore dederant: a quo s. c. ali-
quo sunt Sicyonii liberati. Vide epistolam se-
quentem, & primam item epistolam libri secundi.

*Est enim illud s. c. summa Pedariorum volun-
tate, nullius nostrum auctoritate factum.]* Qui
sint & cur dicantur Pedarii, explicat AVLVVS
GELLIVS lib. IIII. cap. XVIII. Duas autem
refert opiniones de causa huius appellationis:
aliis enim dicti videbantur Pedarii, quod pedibus
in aliorum sententias irent, ipsi sententias non di-
cerent, aliis quod pedibus in Curiam itarent, ne-
que Sella Curuli veherentur, quod nondum Curules
magistratus essent adepti. Ego, ut priori assen-
tiar facit id quod refertur a PESTO POMPEIO
in dictione Pedarius, a Lucilio pedarios senato-
res dictos esse Agipedes, quod pedum discessione di-
cerent sententias. Facit id quoque quod episto-
la sequente scriptum est, *Et raptim pedarii in
eam sententiam cucurrerunt.*

Nam quod me esse ad scribendum vides.] Nam
etsi a me subscriptum esse s. c. vides, & me
s. c. scribendo assuisse: ii autem scribendo s. c.
aderant, in quorum sententiam s. c. fiebant.
CICERO in epistola ad Paetum, cuius est ini-
tium, *Duabus tuis epistolis, An minus*, inquit,
multa s. c. fore putas si ego sim Neapoli? Ro-
mae cum sum & urgeo forum, s. c. scribuntur
apud amatorem tuum familiarem meum. Et qui-
dem cum in mentem venit ponor ad scribendum,
& ante audio s. c. in Armeniam & Syriam esse
perlatum, quod in meam sententiam factum esse

*dicatur, quam omnino mentionem ullam de ea re
esse factam.*

*Ex ipso s. c. intelligere potes aliam rem tum
relatam.]* In qua nobis occupatis, non potuit
Servillii sententia valde attendi, in quam cum
raptim pedarii cucurrissent, factum s. c. est.

*Id autem de populis liberis sine causa additum,
& ita factum est a P. Servilio filio.]* Populi li-
beri sunt, qui suis utuntur legibus: in quibus
Magistratui populi Romani ius dicere non lice-
bat: quemadmodum testatur M. TVLLIVS in
Oratione de provinciis Consularibus. P. autem
hic Servilius, filius est Publii Servilii Isaurici.

*Itaque conventus qui initio celebrabantur, iam
diu fieri desierunt.]* Conventus negotiatorum
est, quemadmodum e sexcentiis CICERONIS
locis intelligimus. Scriptum autem mihi fuisse
videtur, *Itaque conventus qui initio querebantur,
iamdiu queri desierunt.* Sic enim epistola sequente,
*De Sicyoniis, ut ad te scripsi antea, non multum
spei est in Senatu: nemo est enim iam qui quera-*
*tur. Inducendi s. c. maturitas nondum est, quod
neque sunt qui querantur, & multi partim, &c.*

Vt opinor panormi Lucullus de suis historiis.]
L. Lucullus Marficum bellum Graece compo-
suit: quam historiam legisse se PLVTARCHVS
in *Lucullo* testatur.

τίς πατέρ' αἰνήσει.] Integer versiculus est, τίς
πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴν ἀνοδαίμονες υἱοί. quem ita
ERASMVVS interpretatur, *Quis patrem laudet,
nisi proles laudis inanis; additque idem ERAS-*
*MVS carmen vulgo iactatum de iis, qui maiorum
suorum facinora iactant, nimirum nihil habentes
quod de se ipsi vere praedicent. Mihi autem in
hanc sententiam usurpari a CICERONE vide-*
*tur, ut possit in eos dici qui suarum ipsi laudum
praecones sunt. Refertur hoc adagium a PLV-*
TARCHO in vita Arati.

Cossinius hic cui dedi literas.] Epistola ultima
huius libri L. hunc Cossinium vocat: hic autem
est qui apud VARRONEM in *libris de re rustica*
loquitur. Cuius M. TVLLIVS in oratione pro
Balbo iis verbis meminit, *Quomodo igitur L.
Cossinius Tiburs huius equitis Rom. optimi atque
ornatissimi viri pater, &c.*

CVM e Pompeiano me Romam recepissem A. D. IIII. Idus Maii, CINCIVS noster
eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu Idibus Feb. dederas; ei nunc episto-
lae literis his respondebo. Ac primum, tibi perspectum esse iudicium de te meum,
laetor; deinde, te in iis rebus, quae mihi asperius a nobis, atque nostris, &
iniucundius actae videbantur, moderatissimum fuisse, vehementissime gaudeo; id-
que neque amoris mediocris, & ingenii summi, ac sapientiae iudico; qua de re
cum ad me ita suaviter, diligenter, officiose, & humaniter scripseris, ut non
modo te hortari amplius non debeam, sed ne expectare quidem abs te, aut ab
ullo homine tantum facilitatis, ac mansuetudinis potuerim; nihil duco esse com-

modius, quam de his rebus nihil iam amplius scribere; cum erimus congressi; tum, si quid res feret, coram inter nos conferimus. Quod ad me de Rep. scribis, disputas tu quidem & amanter, & prudenter; & a meis consiliis ratio tua non abhorret: (nam neque de statu nobis nostrae dignitatis est recedendum, neque sine nostris copiis intra alterius praesidia, veniendum: & is, de quo scribis, nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum, atque popolare) verumtamen fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis; sed mehercule Reip. multo etiam utilior, quam mihi, civium improborum impetus in me reprimi, cum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem sententiam confirmassem, & a spe malorum ad mearum rerum laudem convertissem; quod si cum aliqua levitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti aestimassem; sed tamen a me ita acta sunt omnia, non ut ego illi assentiens levior, sed ut ille me probans gravior videretur. Reliqua sic a me aguntur, & agentur, ut non committamus, ut ea, quae gessimus fortuito gessisse videamur, meos bonos viros, illos quos significas, & eam, quam mihi dicis obtigisse, σπάρτα, non modo nunquam deseram; sed etiam, si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo; illud tamen, velim, existimes, me hanc viam optimatum post CATVLI mortem nec praesidio ullo, nec comitatu tenere; nam, ut ait RINTHON, ut opinor,

Οἱ μὲν παρ' ἑδὲν εἰσιν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει.

mibi vero ut invideant piscinarii nostri, aut scribam ad te alias, aut in congressum nostrum reservabo; a Curia autem nulla me res divellet: vel quod ita rectum est: vel quod rebus meis maxime consentaneum: vel quod, a Senatu quanti fiam, minime me poenitet, &c.

IN DECIMAM OCTAVAM EPISTOLAM.



disputas tu quidem & amanter & prudenter.] Duo haec requirimus in eo qui consilium dat, ut & nos amet, & ut sapiat.

Civium improborum in me impetus reprimi.] Quos severitas mei Consulatus mihi fecerat inimicos.

A spe malorum.] Qui sperabant mihi cum Pompeio contentionem fore ex dissensione illarum rerum quas in Consulatu gesseram.

Vt non committamus, ut ea quae gessimus fortuito gessisse videantur.] Vt constantiae nostrae & severitatis memores semper simus, nostrique nulla ex parte dissimiles.

In eos bonos viros, &c.] Legendum puto, Meos bonos viros.

Eam quam mihi dicis obtigisse Spartam, &c.] Vide ERASMV M in proverbio Spartam nactus

es, hanc orna. Refertur a PLVTARCHO hoc adagium in commentario περὶ εὐθυμίας. Eo autem proverbio monebat Atticus Ciceronem ne a Curia divelleretur, quamvis pauci in ea essent boni.

Rinthon.] Rinthon Comicus poeta, patria Tarentinus: quem citat ATHENAEVS III. δειπνοσοφιστων. Vide VICTORII castigationes.

Libros eos quos S. Claudius.] Hunc M. TVLLIVS in epistola ad Paetum, cuius est initium, Delectaverunt me, Servium vocat: quem literatissimum fuisse iudicat.

Per legem Cinciam.] Lex Cincia de donis & muneribus prohibet causarum patronos munera ob causam dicendam capere. Cuius meminit T. LIVIVS & M. TVLLIVS II. de Oratore. Iata est a M. Cincio Tribuno plebis, cum plebs Patritiis pene vectigalis esse coepisset.

FINIS COMMENTARII IN PRIMVM LIBRVM.

ANTONII GOVEANI
COMMENTARIUS

IN

M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM

AD

T. POMPONIVM ATTICVM.
LIBER SECVNDVS.

M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM
LIBER SECVNDVS,

AD

ATTICVM.

KAL. Iun. eunti mihi Antium & gladiatores M. METELLI cupide relinquenti, venit obviam tuus puer; is mihi litteras abs te, & commentarium Consulatus mei Graece scriptum reddidit: in quo laetatus sum, aliquanto ante de iisdem rebus Graece item scriptum librum L. COSSINIO ad te perferendum dedisse; nam si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres; quanquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant; & ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur; meus autem liber totum ISOCRATI $\mu\omega\theta\eta\kappa\iota\omega\nu$, atque omnis eius discipulorum arculas, ac nonnihil etiam ARISTOTELIA pigmenta consumpsit: quem tu Corcyrae, ut mihi aliis literis significas, strictim attigisti; post autem, ut arbitror, a COSSINIO accepisti; quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente, ac fastidiose probavissim; quamquam ad me rescripsit iam Rhodo POSIDONIUS, se, nostrum illud $\epsilon\pi\omicron\mu\eta\mu\alpha$ cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatus de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum; quid quaeris? conturbavi Graecam nationem; ita, vulgo qui instabant, ut darem sibi quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt; tu, si tibi placuerit liber, curabis, ut, Athenis sit, & in caeteris oppidis Graeciae; videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis asferre. Oratiunculas autem, & quas postulas, & plures etiam mittam: quoniam quidem ea, quae nos scribimus odolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant; fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus DEMOSTHENES, & quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut $\sigma\epsilon\mu\acute{\nu}\omicron\tau\epsilon\rho\varsigma\ \tau\iota\varsigma$, $\kappa\alpha\iota\ \pi\omicron\lambda\iota\tau\iota\kappa\acute{\omega}\tau\epsilon\rho\varsigma$ videretur, curare,

re, ut meae quoque essent orationes, quae Consulares nominarentur; quarum una est in Senatu ΚΑΛ. Ian. altera ad populum de lege agraria; tertia de OTHONE; quarta pro RABIRIO; quinta de proscriptorum filiis; sexta, cum provinciam in concione deposui; septima, qua CATILINAM emisi; octava, quam habui ad populum postridie quam CATILINA profugit; nona in concione, quo die ALLOBROGES involgarunt; decima in Senatu, Nonis Decemb. sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae; hoc totum σῶμα, curabo ut habeas; & quoniam te cum scripta, tum res meae delectant; iisdem libris perspicias, & quae gesserim, & quae dixerim: aut ne poposcisses; ego enim tibi me non offerebam. Quod quaeris, quid sit, quod te arcessam; ac simul, impeditum te negotiis esse, significas; neque recusas, quin, non modo si opus sit, sed etiam si velim, accurras: nihil sane est necesse; verumtamen videbare mihi tempora peregrinationis commodius posse describere; nimis abes diu, praesertim cum sis in propinquis locis: neque nos te fruimur; & tu nobis cares; ac nunc quidem otium est: sed, si paulo plus furor Pulbelli progredi posset, valde ego te istinc excitarem; verum praecclare METELLVS impedit, & impedit; quid quaeris? est Consul Φιλόπαρις, & ut semper iudicavi, natura bonus; ille autem non simulat, sed plane Tribunus pleb. fieri cupit; qua de re cum in Senatu ageretur, fregi hominem; & inconstantiam eius reprehendi, qui Romae Tribunatum pleb. peteret, cum in Sicilia Herae Aedilitatem se petere dicitasset; sed neque magnopere dixi esse nobis laborandum: quod nibilo magis ei licitum esse plebeio Remp. perdere, quam similibus eius me Consule patriciis esset licitum. Iam, cum se ille septimo die venisse a Freto, neque sibi obviam quemquam prodire potuisse, & noctu se introisse dixisset, in eoque se in concione iactasset: nihil ei novi dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam; tribus horis Roma Interamnam: noctu introisse item ante: non esse itum obviam; ne tum quidem, cum iri maxime debuit; quid quaeris? hominem petulantem modestum reddo, non solum perpetua gravitate orationis, sed etiam hoc genere dictorum; itaque iam familiariter cum ipso etiam cavillor, ac iocor; quin etiam cum candidatum deduceremus, quaerit ex me, num consueessem SICVLIS locum gladiatoribus dare? negavi; at ego, inquit, novus patronus instituum; sed soror, quae tantum habeat Consularis loci, unum mihi solum pedem dat; noli, inquam, de uno pede sororis queri: licet etiam alterum tollas; non Consulare, inquires, dictum; fateor: sed ego illam odi male Consularem; ea est enim seditiosa: ea cum viro bellum gerit, neque solum cum METELLO, sed etiam cum FABIO, quod eos in hoc esse moleste fert. Quod de agraria lege quaeris, sane iam videtur refrixisse. Quod me quodam modo molli brachio de POMPEII familiaritate obiurgas: nolim ita existimes, me mei praesidii causa cum illo coniunctum esse: sed ita res erat instituta, ut, si inter nos esset aliqua forte dissensio, maximas in Rep. discordias versari esset necesse; quod a me ita praecautum, atque ita provisum est, non ut ego de optima illa mea ratione decederem; sed ut ille esset melior, & aliquid de populari levitate deponeret: quem de meis rebus, in quas eum multi incitarant, multo scito gloriosius, quam de suis praedicare; sibi enim bene gestae, mihi conservatae Reip. dat testimonium; hoc facere illum, mihi quam profit, nescio; Reip. certe prodest. Quid, si etiam CAESAREM, cuius nunc venti valde sunt secundi, reddo meliorem? num tantum obsum Reip.? quin etiam, si mihi nemo invideret; si omnes, ut erat aequum, faverent; tamen non minus esset probanda Medicina, quae sanaret vitiosas partes Reip. quam quae exsecaret; nunc vero, cum Equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino, te signifero, ac principe, collocaram, Senatum deseruerit; nostri autem principes digito se caelum putent attingere, si nulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant; alia autem

negligant: nonne tibi satis prodesse videor, si perficio, ut nolint obesse, qui possunt? nam CATONEM nostrum non tu amas plus, quam ego; sed tamen ille, optimo animo utens, & summa fide, nocet interdum Reip. dicit enim tanquam in PLATONIS πολιτεία, non tanquam in ROMVLI faece, sententiam; quid verius, quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? censuit hoc CATO; assensit Senatus. Equites curiae bellum, non mihi; nam ego diffensi; quid impudentius Publicanis renuntiantibus? fuit tamen, retinendi ordinis causa, facienda iactura; restitit, & pervicit CATO; itaque nunc, Consule in carcere incluso, saepe item seditione commota, aspiravit nemo eorum, quorum ego concursu, itemque Consules, qui post me fuerunt, Remp. defendere solebant. Quid ergo? istos, inquit, mercede conductos habebimus? Quid faciemus, si aliter non possumus? an libertinis, atque etiam servis serviamus? sed, ut tu ais, ἀλλῶς σπεύδῃς. FAVONIUS meam tribum tulit honestius, quam suam; LVCEII perdidit; accusavit NASICAM inhoneste, ac (modeste tamen dicit) ita ut Rhodi videretur molis potius, quam MOLONI, operam dedisse; mihi, quod defendissem, leviter succensuit; nunc tamen petit iterum Reipub. causa. LVCEIUS quid agat, scribam ad te, cum CAESAREM videro, qui aderit biduo. Quod SICYONII te laedunt; CATONI, & eius aemulatori attribuas SERVILIO; quid? ea plaga nonne ad multos bonos viros pertinet? sed, si ita placuit, laudemus; deinde in discessionibus soli relinquamus. Amalthea mea te expectat, & indiget tui. Tusculanum & Pompeianum valde me delectant; nisi quod me, illum ipsum vindicem aeris alieni, aere non Corintheo, sed hoc circumforaneo obruerunt. In Gallia speramus esse otium. Prognostica mea cum oratiunculis propediem expectata; & tamen, quid cogites de adventu tuo, scribe ad nos; nam mihi POMPONIA nuntiari iussit, te mense Quintili Romae fore; id a tuis litteris, quas ad me de cessu tuo miseris, discrepabat. PAETVS, ut antea ad te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donavit; hoc illius munus in tua diligentia positum est; si me amas, cura, ut conserventur, & ad me perferantur; hoc mihi nihil potest esse gratius: & cum Graecos, tum vero diligenter Latinos ut conserves velim; tuum esse hoc munusculum putabo. Ad OCTAVIVM dedi litteras: cum ipso nihil eram locutus; neque enim ista tua negotia provincialia esse putabam: neque te in tocullionibus habebam; sed scripsi, ut debui, diligenter.

IN PRIMAM EPISTOLAM.

In hunc librum coniectae sunt epistolae missae a CICERONE ad ATTICVM, ab extremo QVINTI METELLI CELERIS consulatu, usque ad suum ab urbe discessum, hoc est usque ad L. PISONEM & A. GABINIVM COSS.



ALENDIS Iuniis eunti mihi Antium.] Antii aedes habebat M. Tullius. Sic enim lib. III. epistola cuius est initium, MULTA ME IN EPISTOLA Aedificati, inquit, tibi in agris nihil reperio: in oppido est quidam, de quo est dubium sit ne vaenale, ac proximum quidem nostris aedibus. Hoc scito Antium Butrotum esse Romae, ut Corcyrae illud tuum, nihil quietius, nihil alius, nihil amoenius.

Et gladiatores M. Metelli cupide relinquenti.] Quibus tamen nihil populus spectat lubentius.

TERENTIUS in Hecyra, Cum interea rumor venit Datum iri gladiatores, populus convolat, Tumultuantur, clamant, pugnant de loco. CICERO in oratione pro Sestio, Maximum vero populi Romani iudicium universo confesso gladiatorio declaratum est: erat enim munus Scipionis, dignum & eo ipso, & illo Qu. Metello cui dabatur. Id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur. Quis autem hic sit M. Metellus, qui gladiatorium munus populo dabat, non mihi constat. Et fortasse legendum tantum sit GLADIATORES METEL-

LI; ut Gladiatores Qu. Metelli Nepotis fuerint, quos biennio antequam peteret Consulatum, populo dabat ex lege Tullia de ambitu: quae quemadmodum antea scripsimus, vetabat ne eo biennio quo quis peteret, petiturusve esset, gladiatores daret. Consul enim fuit cum P. Lentulo biennio post: hoc est, post Caesarem & Bibulum Gabinium & Pisonem COS. Qu. autem Metello Celere COS. Praetor fuit, quemadmodum scribit DION. lib. XXXVIII. Caesare vero COS. ex Praetura in provinciam profectus est, quemadmodum scribit M. TULLIVS hoc eodem libro epist. cuius est initium, CUPIO EQVIDEM. Et quoniam, inquit, Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur. Ut existimare possimus, Praetorem Metellum gladiatorium munus populo dedisse eo tempore, quo per legem Tulliam, uti diximus, licebat.

Et ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur.] Sumptum hoc est ex PLAVTI Mostellaria, Eccastor, inquit, mulier bene olet, ubi nihil olet. Nam istae veteres quae se unguentis unctitant, interpolles, vetulae, edentulae, quae vitia corporis fuco occultant, ubi se sudor cum ungentis consociavit, illico itidem olent, quasi cum multa iura consociavit coquus. Quid oleas nescias, nisi id unum male olere intelligas.

Eius discipulorum.] Theopompi: quem suavissimum scriptorem vocat M. TULLIVS in Oratore ad M. Brutum.

Ac nonnihil Aristotelia pigmenta.] Ex hoc loco intelligimus ARISTOTELEM suavem fuisse scriptorem. CICERO in Topicis, Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae & inventae sunt, allici debuerunt, sed dicendo quoque incredibili cum copia, tum suavitate.

Quem tu Corcyrae, ut mihi aliis literis significas, attigisti.] Corcyra alia insula est in Adriatico, alia in mari Thesprotico, Epiro proxima: de qua mihi hoc in loco loqui CICERO videtur. Cuius meminit quoque CICERO, in epistola lib. IIII. quam paulo ante citavimus, & in epistolis ad Tironem multis locis.

Quaquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius.] Ne tu me solum de meis scriptis bene iudicare existimes. Posidonius hic Panaetii discipulus fuit, civitate Apamensis, aut ut alii, Rhodius.

Videntur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre.] Graeca enim, ut ait M. TULLIVS in oratione pro Archia, legebantur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus exiguis sane continebantur.

Fuit enim mihi commodum.] Mihi placuit. TERENCE, Consingam quod erit mihi bonum atque commodum. Idem, Exequias Chremeti, quibus ire commodum est, iam tempus est. Idem in Adelphis, Amat, dabitur a me argentum ubi erit commodum. Vnde TERENCE, Incom-

modare alicui dixit, pro eo quod dicimus, alicuius voluntati adversari. Magis, inquit, mihi ut incommodet quam obsequatur gnato.

Ut σεμνότορος τις καὶ πολιτικώτερος videretur.]

Non clamorosus rabula, sed gravis reipublicae author.

Quarum una est in Senatu Calendis Ianuariis.]

Haec oratio ea est, cuius hodie initium desideratur, ut autem nunc est, hoc initio est, QVAE RES APERTE. In ea siquidem oratione scriptum sic est, Dicit frequentissimo Senatu COS. Calend. Ianuariis in Senatu sese, si status hic reipub. maneat, neque aliud negotium reipub. extiterit, quod honeste subterfugere non possit, in provinciam non iturum. De qua oratione ita CICERO in Pisonem, Ego Calendis Ianuariis Senatum & bonos omnes legis Agrariae & maximarum largitionum metu liberavi.

Secunda ad populum de lege Agraria.] Qua legem de agro campano dividendo, quam P. Servilius Rullus Tribunus plebis ferebat, dissuasit. Quamobrem in oratione in Pisonem, Ego, inquit, agrum campanum si dividi non oportuit, conservavi, si oportuit, melioribus auctoribus conservavi.

De Othone.] Non dicit M. TULLIVS pro Othone, sed de Othone, neque enim Othonem defendit, sed plebis animos in Othonem commotos propter legem ab eo latam Theatralem in templo Bellonae oratione sedavit: quae hodie non extat. Tulerat autem Roscius Otho, ut equites in spectaculis a plebe seiungerentur. Vide PLUTARCHVM in vita Ciceronis.

Pro Rabirio.] C. Rabirio reo perduellionis quod L. Saturninum occidisse diceretur. CICERO in Pisonem, Ego in C. Rabirio perduellionis reo quadraginta annis interpositam Senatus auctoritatem sustinui contra invidiam atque defendi. Perduelles appellabant Veteres, quos nos Hostes dicimus.

Quinta de proscriptorum filiis.] Ut filiis proscriptorum bona relinquerentur: quod Caesar censuerat. Vide PLUTARCHVM in vita Ciceronis. Legibus tamen constitutum erat, ut eorum, qui de vi damnarentur, filii bonis publicatis parentum calamitatem subirent. M. TULLIVS in epistola ad Brutum, cuius est initium, ET SI DATVRVS. Nec vero me praeterit, quam sit acerbum parentum scelera filiorum poenis lui. Sed hoc praeclare legibus comparatum est, ut charitas liberorum amiciores parentes reipub. redderet. Itaque Lepidus crudelis in liberos, non is qui Lepidum hostem iudicat. Atque ille si armis positus damnatus de vi esset, quo in iudicio certe defensionem non haberet, eandem calamitatem subirent liberi bonis publicatis. Et epist. rursum, cuius est initium, MESSALAM HABES. In qua, inquit, videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, poena pervenit: sed id & antiquum est, & omnium civitatum: siquidem

The-

Themistoclis liberi eguerunt, & si iudicio damnatos eadem poena sequitur cives, qui potuimus leniores esse in hostes?

Sexta cum provinciam in concione deposui.] M. TVLLIVS in oratione in Pisonem, *Ego Galliam provinciam Senatus auctoritate exercitu & pecunia instructam & ornatam in concione deposui. Vide epistolam quoque ad Metellum, cuius est initium, si TV exercitusque valetis.*

Septima quo Catilinam emisi.] Non audet dicere eieci & expuli. Neque enim COS. cives de civitate eiicere poterat. M. TVLLIVS pro Sestio, *Hoc vero quid est? exterminabit cives Romanos dicto COS. a suis dis penatibus expellet, a patria? deliget quem volet, damnabit atque eiiciet nominatim?* Quare in secunda Catilinaria, *Tandem, inquit, aliquando Quirites L. Catilinam furem audacia ex urbe vel eiecimus, vel emisimus, vel egredientem persecuti sumus.*

Quo die Allobroges indicarunt.] De toto hoc iudicio Allobrogum Legatorum, vide SALVSTIVM in coniuratione Catilinae. Porro indices sunt, qui ea quorum ipsi conscii sunt & participes detegunt proposita impunitate. Neque tamen in omnibus causis volens indicare audiebatur: veluti in causis repetundarum, ut colligimus ex divinatione in Verrem.

Decima in Senatu Nonis Decembribus.] De supplicio coniuratorum, vid. epist. cuius est initium, VIDEO patres conscripti.

Praeterea sunt duae breves.] Quarum alteram tantum hodie habemus: cuius hoc est initium, COMMODIVS fecissent.

Quod quaeris quid sit quo te arcessam.] Arcesserat Cicero Atticum propter periculum, quod sibi a P. Clodio, si Tribunus fieret, videbat impendere: quem Atticus tenere potuisset.

In Sicilia Aedilitatem saepe didicit.] In Sicilia quaestor Clodius fuerat. Sicilia autem a duobus Quaestoribus regebatur, altero Lilybetano, altero Syracusano. Vide ASCONIVM in divinationem in Verrem.

Quod nihilo magis ei licitum esset Plebeio, &c.] Iam Clodius ad Plebem transferat rogatione Herennii, de qua libro superiore: sed Curia de adoptione lex nondum lata erat a C. Caesare.

Patritiis esset licitum.] Catilinae & Lentulo. *A freto.]* Siciliensi: quod est inter Messanam & Rhegium. De quo M. TVLLIVS libro in Verrem ultimo, *Et illud audivimus M. Crassi fortissimi viri virtute consilioque factum, ne ratibus coniunctis freto fugitivi ad Messanam transire possent.*

Tribus horis Roma Interamniam.] Hunc locum libro superiore explicavimus in epistola, QVAERIS ex me.

Cum candidatum deducerem.] In forum comitarer. Reducere enim dicimus domum.

Is quaerit ex me, num consueessem Siculis locum Gladiatoribus dare.] M. Tullius patronus erat

Siculorum iam inde a sua Quaestura quemadmodum testis ipse est in *Verrinis orationibus*. Patroni autem clientibus suis locum ad spectandum dabant: quod gladiatoribus facere commode non poterant, quoniam ad id spectaculum, quemadmodum antea scripsimus, maxima multitudo civium conveniebat. Dabantur autem gladiatores in foro, quemadmodum intelligimus ex oratione pro Sestio, in qua scriptum iis verbis est, *In gladiatorium confessum P. Sestius Tribunus plebis cum ageret nihil in eo magistratu nisi meam causam, venit, & se populo dedit non plausus cupiditate, sed ut ipsi inimici nostri voluntatem universi populi viderent. Venit, ut scitis ad columnam Moeniam: tantus est ex omnibus spectaculis usque a Capitolio, tantus ex fori cancellis plausus excitatus, ut nunquam maior consensus aut opertior populi Romani in ulla causa fuisse diceretur.* Gladiatores Romae primi dedere M. & Decimus Bruti L. filii in patris defuncti memoriam. Dederunt autem in foro boario. Testis VALERIVS MAXIMVS lib. II. de institutis antiquis.

At ego, inquit, novos patronos instituem.] Locum corruptum esse arbitror, ex quo nulla elici sententia potest. NOVVS patronus optima sententia legeretur, ut dicat Clodius, *At ego, qui novus Siculorum patronus sum, constitui Siculis locum Gladiatoribus dare, quod vos veteres patroni non fecistis.*

Sed soror, quae tantum habeat Consularis loci, unum mihi solum pedem dat.] Existimandum est uxores Consulium loci habuisse ad spectandum plurimum: Virgines quidem vestales locum ad spectandum habebant. CICERO oratione pro L. Murena, *Nec si virgo vestalis huius propinqua & necessaria locum suum non est.* Clodia autem soror P. Clodii nupta erat cum Qu. Metello Celere, qui tum Consul erat.

Licet etiam alterum tollas.] Locum hunc felicissime exposuit VICTORIVS in suis castigationibus: & EX MARTIALE notavit, genus quoddam esse concubitus in quo uterque pes tollitur. Vide eius castigationes. Clodius autem cum Clodia sorore rem habere credebatur.

Quos in hoc esse moleste fert.] Quos moleste fert bonos esse Consulares, hoc est, de salute patriae assidue cogitare: qui fratris sui furori resisterent, neque paterentur Tribunum plebis fieri, ut rempublicam turbare posset. DION. lib. XXXVII. *Quod cum Clodius, inquit, videret, id se a nobilitate non posse impetrare ad plebem se contulit, & quoniam iam esset plebeius factus, continuo Tribunatum plebis petere instituit: sed adversante Metello fratre suo, cui acta illius non placebant, designari Tribunus plebis non potuit.* Obiciebat autem Metellus, de Clodii adoptione quia non latum esset Comitibus Curiatibus, nihil actum esse more, nihil lege: nullam itaque adoptionem eam esse.

Quod de lege Agraria quaeris, sane iam videtur refrixisse.] De lege hac Agraria quae auctore Pompeio a L. Fusio Trib. plebis ferebatur de commodis militum Pompeianorum civium nomine, quemadmodum scribit DION. libro XXXII. multa libro superiore diximus. SANE valde significare, notavimus libro superiore.

Molli brachio.] ERASMVVS in *Cbiliadibus* pro eodem dici a CICERONE vult MOLLI brachio & levi brachio, quo utitur CICERO lib. IIII. harum epistolarum, epistola cuius est initium, OCCVPATIONVM tuarum. COSS. qui illud levi brachio egissent, rem ad Senatum detulerunt. Mihi tamen videtur illud MOLLI brachio proprium habere locum in admonitionibus, tum enim brachium molliiter movemus, ut fractum videatur.

Caesarem, cuius venti valde sunt secundi.] Ob res praeclare in Lusitania gestas. De quibus vide DIONEM lib. XXXVII. & SVETONIVM in D. Julio.

Num tantum obsum reipub.?] Non dubito quin scriptum fuerit, NVM tamen obsum reipublicae?

Quam quae exsecaret.] Cum partes corporis ita vitatae sunt, ut sanari non possint, tum exsecantur; qua Cicero medicina in Consulatu usus fuerat.

Quem ego in clio Capitolino te signifero ac principe.] M. Tullius eo die quo Coniuratorum supplicio agi in Senatu debebat, Equitum Romanorum praesidia circum aedem Concordiae in Capitolio disposuit.

Alii autem negligent.] Hoc in loco posuit NEGLIGANT per se, ut CVRARE in epist. lib. primi, cuius est initium NIHIL mihi nunc scito. *Vnus est, inquit, qui curet constantia magis & integritate, quam, ut mihi quidem videtur, ingenio & consilio, Cato.*

Dicit enim tanquam in Platonis Politia, non tanquam in Romuli fece, sententiam.] Sapientes viri in dicenda sententia non semper decernunt quod optimum est, sed nonnunquam quod necessarium: serviendum enim temporibus est, & in aliqua re iactura facienda, ut summam reipublicae in periculum non adducamus.

Equites Curiae bellum, non mihi: nam ego dissensi.] Equites Curiae bellum indixerunt & a Senatu alienati sunt, quod graviter ferrent, quemadmodum libro superiore scripsimus, se iudiciis Senatoriis alligari.

Publicanis renunctantibus.] Conductioni & pactioni Censoriae, qua de re libro primo diximus.

Itaque nunc Consule in carcere incluso.] Hac de re DION. lib. XXXVII. Cum igitur, inquit, L. Flavius Tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Pompeii acta confirmarentur, & ut Pompeianis militibus agri assignarentur, quod, ut facilius perferret, civium nomine ferebat, ei Me-

tellus COS. vehementer est adversatus. Quamobrem in carcerem duci a Tribuno iussus est. Vbi cum Senatum cogere Metellus vellet, Flavius Tribunitiam fellam in carceris aditu sibi poni iussit, atque ita ab ingressu Senatores prohibebat. Quod COS. cum videret partem parietis carceris dirui imperavit, uti Senatoribus ad se aditus pateret. Quis primus Tribunus COSS. in carcerem coniecit scribit M. TULLIVS lib. III. de legibus iis verbis, *Etsi quinquennio ante D. Brutum & P. Scipionem COSS. (quos & quantos viros) homo omnium infimus & sordidissimus P. Curiatus in vincula coniecit, quod ante factum non erat.*

Saepe item seditione commota.] Ob legem Agrariam, quam ferebat Flavius.

An libertinis atque etiam servis nostris serviamus.] Quibus stipati improbi cives nihil non audent, nihil non tentant, omnia perficiunt: quibus quem possimus opponere praeter Equites habemus neminem.

Sed ut tu ais ἄλλῃ σπυδῆς.] Satis dignitatis. Dignitatem enim hoc in loco σπυδῆ videtur significare. Sic enim epistola huius libri, cuius est initium, MULTA me sollicitant. *Dices fortasse, Dignitatis ἄλλῃ tanquam θεός: saluti si me amas consule. Me miserum cur non ades: nihil profecto te praeteriret. Ego fortasse τυφλώτω, & nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα.*

Favonius meam tribum tulit honestius quam suam.] Tribum ferre, est tribus suffragia ferre. Honestius autem Ciceronis tribum quam suam tulerat Favonius: quia suam corruptam habere largitionibus credebatur. Hic est M. Favonius, qui in dicenda sententia Catonis libertatem ita imitabatur, ut ψευδοκράτων diceretur, hoc est is qui se pro Catone facile probaret.

Nasicam accusavit.] P. Scipionem Nasicam, a quo in petitione magistratus victus fuerat.

Ac modeste tamen dixit.] Visus eloquens non est. Modeste, modice significat, & intra modum.

Molis potius quam Moloni operam dedisse videretur.] Pistrina magis, quam rhetorum officinas frequentasse. De Molone ita M. TULLIVS in Bruto, *Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam & actori summo causarum & magistro.* Atque aliquanto post, *Quibus non contentus Rhodum veni, meque ad eundem quem Romae audiveram, Molonem applicavi, cum actorem in veris causis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis, & in instituendo docendoque prudentissimum.* SVETONIVS in D. Julio Apollonium Molonem vocat.

Luceius quid agat.] Qui Consulatum petere in animo habebat: cum quo Caesar coiturus dicebatur. Vide epistolam libri primi, cuius est initium, MAGNA mihi varietas.

Cum Caesarem videro, qui aderit biduo.] Caesar ex Lusitania rediit ad petitionem Consulatus

latus non expectato successore. Vide DIONEM libro XXXVII.

Et eius aemulatori attribuas Servilio.] P. Servilio filio, qui Catonis severitatem imitabatur. Vide epistolam libri primi, cuius est initium, NON modo si mihi.

Ad multos bonos viros.] Multos negotiatores: qui omnes ex Equestri erant ordine.

Sed si ita placuit, laudemus, deinde in dissensionibus soli relinquamur.] Laudemus Catonis severitatem & integritatem, qui miseris civitatibus maluit consulere, quam Equitibus gratificari, quod tamen faciendum fuerat, retinendi ordinis causa, ut Senatus habere posset, quos improborum civium amentiae opponeret.

Amalthea mea te expectat, & indiget tui.] Amaltheam volebat Cicero in Arpinate facere. CICERO epist. libri primi, cuius est initium, QVAERIS ex me. *Velim ad me scribas, cuiusmodi sit ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, quia τοποθεσία, & quae poemata, quasque historias de amalthea habeas, ad me mittas; lubet mihi facere in Arpinate.*

Me illum ipsum vindicem aeris alieni.] Qui in Consulatu meo creditores metu novarum tabularum liberavi. CICERO in epistola ad Sestium, cuius est initium, CVM ad me Decius. *Itaque nunc me scito tantum habere aeris alieni, ut cupiam coniurare, si quisquam recipiat: sed partim odio inducti me excludunt, & aperte vindicem coniurationis oderunt: partim non credunt, & a me insidias metuunt: nec putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidione foeneratores exemerit.*

Sed hoc circumforaneo obruerunt.] Ad aedificandum Pompeianum, & Tusculanum magna opus pecunia Ciceroni fuit: quam ad foenus sumpsit, Aes circumforaneum dicitur aes foeneratitium: quia enim foeneratores sibi mutuo nomina cedunt, cursitare circum forum pecunia videtur.

Prognostica mea.] De CICERONIS prognosticis alibi me legisse non memini. Quantum autem ex hac inscriptione conicere possumus, in eo libro de signis rerump. scripsit M. TVLLIVS, ex quibus qui futurus esset reipub. status colligi potest. Qua de re alios ante Ciceronem scripsisse testis est M. TVLLIVS in epistola ad A. Cecinnum, cuius est initium, VEREOR ne desideres. *Si te, inquit, ratio quaedam Hetruscae disciplinae, quam a patre nobilissimo atque optimo acceperas, non fefellit, ne nos quidem nostra divinatio fallat: quam cum sapientissimorum virorum monumentis atque praeceptis, plurimoque, ut tu scis, doctrinae studio, tum magno etiam usu tractandae reipub. magnaue nostrorum temporum varietate consecuti sumus. Cui quidem divinationi hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in iis tam obscuris rebus, tamque perturbatis unquam omnino fefellit. Dicerem quae ante futura dixissem, ni vereretur, ne ex eventis fingere videretur. Sed tamen*

plurimi sunt testes me & initio ne coniungeret se cum Caesare, monuisse Pompeium, & postea ne se iungeret. Coniunctione frangi Senatus opes, disjunctione bellum civile excitari videbam. Quibus ex verbis colligimus & alios hac de re ante Ciceronem scripsisse, & quantum Cicero in ea scientia excelluerit: ut & de re tanta scribere voluisse, & sibi tam nota potuisse sit verisimile.

De accessu tuo.] Aliud est accessus, aliud adventus. Accedit is qui appropinquat.

Paetus, ut antea ad te scripsit, &c.] Hac de re scripsit CICERO epistola ultima libri primi.

Ad Octavium dedi literas, &c.] Hic est Cn. Octavius pater C. Octavii, qui post Augustus dictus est: cui CICERO libro epistolarum quas familiares appellant, XIII. domum M. Aemilii Aviani & rem familiarem quae Sicyone erat, commendat. Quem in epistola ad Qu. fratrem, cuius est initium, STATHIVS ad me venit; vicinum Qu. fratris sui vocat, qui Asiam obtinebat. *Et mediocri, inquit, me dolore affici putas cum audiam qua sit existimatione Virgilius, qua tuus vicinus Cn. Octavius? SVETONIUS in Augusto scribit, Cn. Octavium missum extra ordinem Propræto in Macedoniam, C. Antonio credo successorem: nam & Sicyon prope Achaïam est, quae a magistratu Macedonico tum regebatur, ut colligimus ex oratione de provinciis Consularibus, & ab Asia Macedonia non ita lato mari dividebatur.*

Nec enim ista tua negotia provincialia esse putabam.] De pecuniis liberis civitatibus creditis ius non dicebat provincialis magistratus. M. TVLLIVS in oratione de provinciis Consularibus, *Emisti a foedissimo Trib. plebis grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius liberos populos contra s. c. & contra legem generi tui dicere liceret. Id emptum ita vendidisti, ut aut ius non diceres, aut bonis everteres cives Romanos. Quare Cicero existimabat, negotia habere Atticum in liberis tantum civitatibus: in quibus a magistratu provinciali non multum iuvare poterat.*

Neque te in Toculionibus habebam.] Antea legebatur in decurionibus. VICTORIVS ex vetere codice in Toculionibus reposuit: neque tamen scit, qui sint Toculiones; ἀπὸ τοῦ τόκου velle videtur derivare. Ego quoniam qui Toculiones sint, nescio, veterem lectionem retineo, dum novam aliquis nobis deus explicet. Coloniae magistratus Decuriones dici testis CICERO est in oratione pro Sestio, & in oratione item de lege Agraria ad populum. Buthrotum, ubi collocarat se Atticus, PLINIVS libro III. capite primo, Coloniae facit, etsi CICERO municipium hoc eodem libro, epistola, QVOD tibi superioribus. Buthrotiorum autem publica negotia Atticum tractavisse, ut & Atheniensium tractasse scribit NEPOS, dum in ea urbe fuit, verisimile est, ut in Decurionibus eum recte numerare possit. Decurionem fuisse Pomponium

nium Buthroti dicere ideo non audeo, quod cives Romani alibi magistratus capere, quam Romae non solerent, neque enim esse poterant nisi unius civitatis cives, & adoptione magistratus videbantur se in illam dicasse civitatem, in qua illum essent adepti. Vide orationem pro Balbo. Quod si minus placet, merae enim sunt coniecturae, vide an magis placeat, pro DECVRIONIBVS reponi NEGOTIATORIBVS. Negotiatores enim sunt, qui negotia in provinciis gerunt, non qui populis pecunias credunt. Cum ergo Atticus negotiator non esset, miratur Cicero ista Attici negotia provincialia esse. Non fuisse Atticum negotiatorem intelligimus ex epistola lib. primi, cuius initium est, NIHIL

mibi. Nam, inquit, ne absens censeare, curdabo edicendum & proponendum omnibus locis. Sub lustrum autem censeari germani negotiatoris est. Negotiatores in liberis civitatibus non solitos esse negotiari, intelligimus ex oratione pro Flacco, ubi M. TVLLIVS Deciano cuidam qui in Flaccum testimonium dixerat, obiicit in libera eum civitate negotiari. Quid tibi, inquit, tandem Deciane iniuriae factum est? Negotiari in libera civitate. Primum, patere me esse curiosum: quousque negotiari, cum sis isto loco natus. Verum esto: Negotiari libet: cur non Pergae, Smyrnae, Trallibus, ubi & multi cives Romani sunt, & ius a nostro magistratu dicitur?

CVRA, amabo te, CICERONEM nostrum; ei nos θεῖοι videmur; Περινάων in manibus tenebam; & Hercule magnum acervum DICAERCHI mihi ante pedes extruxeram; ó magnum hominem, & a quo multo plura didiceris, quam de PROCILIO; Κορινθίων, & Αθηναίων puto me Romae habere; mihi HERODES, leges, haec doceo; mirabilis vir est HERODES. si homo esset, eum potius legeret, quam unam litteram scriberet: qui me epistola petivit: ad te, ut video, cominus accessit; coniurasse mallet, quam restitisse coniurationi, si illum mihi audiendum putassem. De LOLLIO sanus non es; de VINIO laudo. Sed heus tu, ecquid vides ΚΑΛ. venire, ANTONIVM non venire? iudices cogi? nam ita ad me mittunt, NIGIDIVM minari in concione, se iudicem, qui non affuerit, compellaturum; velim tamen, si quid est de ANTONII adventu, quod audieris, scribas ad me: & quoniam huc non venis, coenes apud nos utique pridie ΚΑΛ. cave aliter facias. Cura, ut valeas.

IN SECVNDAM EPISTOLAM.



ura, amabo te, Ciceronem nostrum: ei nos θεῖοι videmur.] Rogat Atticum, ut curet Qu. Ciceronem Qu. fratris sui qui aberat, F. tum valde puerum: pueris enim semper patruī nomen terribile videtur: non item avunculi; avunculus autem pueri erat Atticus.

Περινάων in manibus tenebam.] Legendum videtur περινάων in manibus tenebam, ut intelligamus libros; quemadmodum & paulo post, κορινθίων & αθηναίων non κορινθίων & αθηναίων. ut nomina scriptorum sint. Eodem genere loquendi utitur in extrema epistola sequente, θεοφράστῃ περὶ φιλοτιμίας offer mihi de libris Qu. fratris.

Et Hercule magnum acervum Dicaearchi mihi ante pedes extruxeram.] Et Hercule antequam cepissem in manus PELINAEVM, DICAERCHVM legebam. Dicaearchus philosophus fuit, qui τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteposuit. CICERO epistola huius libri cuius est initium COENATO mihi. Nunc inquit prorsus hoc sta-

tui, ut quoniam est tanta controversia Dicaearcho familiari tuo, cum Theophrasto amico meo, ut ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικὸν, utrique a me mos gestus esse videatur.

Quam de Procilio.] Quis hic Procilius sit nescio. Procilii cuiusdam meminit CICERO in epist. lib. IIII. cuius est initium, DE Eutychie gratum. Ad III. inquit Non. Quint. Sufenas & Cato absoluti, Procilius condemnatus; ex quo intellectum est tres Arcopagitas ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totam denique rempublicam flocci non facere. Scripseritne hic PROCILIVS aliquid compertum non habeo. Procilii item meminit in epist. ad Qu. fratrem cuius est initium, ó literas mihi tuas.

Mihi Herodes, lege, haec doceo: mirabilis vir est Herodes; si homo esset, eum potius legeret, quam unam litteram scriberet.] Herodes de iisdem rebus scripserat, de quibus Dicaearchus; quare petebat a Cicerone, ut suos libros legeret: docere se, quae doceret Dicaearchus. Nae, in-

inquit CICERO, nescit Herodes quam malus sit scriptor, & quanto meliorem operam navaret, si Dicaearchum legeret, quam si de iisdem rebus scriberet.

Qui me epistola petivit, ad te ut video comminus accessit. Coniurasse mallet quam restitisse coniurationi, &c.] Qui mihi pecuniam foenore iniquissimo per literas obtulit, venit in ista loca quantum ex tuis literis intelligo; sed ego mallet coniurasse quam restitisse coniurationi, & foeneratores ab obsidione liberasse si illius conditione uti cogerer, neque reperire possem qui mihi minore foenore daret.

[De Lollio sanus non es, de Vinio laudo.] Lollius & Vinus nomina foeneratorum esse puto, a quibus Atticus putabat Ciceronem bene posse petere.

[Calendas venire, Antonium non venire?] Ianuarias intelligit. Vide epistolam sequentem.

[Nigidium minari in concione se iudicem, qui non affuerit, compellaturum.] P. Nigidium Figulum Praetorem. Praetores Iudices compellere, & coercere poterant, hoc est, cogere ut adessent. CICERO in oratione pro Cluentio, Quid est, Quinte Naso, cur tu in isto loco sedes? quae vis est, qua abs te ii Iudices tali dignitate praediti coercentur?

PRIMUM, ut opinor, εὐαγγέλια. VALERIVS absolutus est HORTENSIO defendente; id iudicium K. ATILIO condonatum putabatur: & EPICRATEM suspicor, ut scribis, lascivum fuisse; etenim mihi caligae eius, ut fasciae cretatae, non placebant; quid sit, sciemus, cum veneris. Fenestrarum angustias quod reprehendis, scito te Κύρις παιδείαν reprehendere; nam, cum ego idem istuc dicerem, CYRVS aiebat, viridariorum διαφάσεις latis luminibus, non tam esse suaveis; etenim ἔσω ὄψις μὲν, ἦ, α: τὸ δὲ ὁρώμενον, β, γ: ἀκτῖνες δὲ, δ, καὶ ε. vides enim caetera; nam, si κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις videremus, valde laborarent εἰδῶλα, in angustis: nunc sit lepide illa ἐκχρῆσις radiorum; caetera si reprehenderis, non feres tacitum, nisi quid erit eiusmodi, quod sine sumto corrigi possit. Venio nunc ad mensem Ianuarium, & ad ὑπόστασιν nostram, ac πολιτείαν: in qua σωκρατικῶς εἰς ἐκέρτερον: sed tamen ad extremum, ut illi solebant, τὴν ἀρεσκασαν; est res sane magni consilii; nam aut fortiter resistendum est legi agrariae; in quo est quaedam dimicatio, sed plena laudis: aut quiescendum; quod est non dissimile, atque ire in Solonium aut Antium: aut etiam adiuvandum; quod a me aiunt CAESAREM sic expectare, ut non dubitet; nam fuit apud me CORNELIVS; hunc dico BALBVM, CAESARIS familiarem; is affirmabat, illum omnibus in rebus meo & POMPEII consilio usurum, daturumque operam, ut cum POMPEIO CRASSVM coniungeret. Hic sunt haec, coniunctio mihi summa cum POMPEIO; si placet, etiam cum CAESARE; reditus in gratiam; cum inimicis pax, cum in multitudine; senectutis otium; sed me καλέτασις mea illa commovet, quae est in libro III.

Interea cursus, quos prima a parte iuventae,

Quosque ideo Consul virtute, animoque petisti,

Hos retine, atque auge famam, laudesque bonorum.

Haec mihi cum in eo libro, in quo multa sunt scripta ἀριστοκρατικῶς, CALLIOPE ipsa praescripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis videatur

Εἰς οἰωνὸς ἀριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτης.

sed haec ambulationibus Compitalicis reservemus. Tu pridie Compitalia memento; balineum calferi iubebo: & POMPONIAM matrem adiungemus. Θεοφράστῃς περὶ Φιλομύτας affer mihi de libris QVINTI fratris.

IN TERTIAM EPISTOLAM.



Valerius absolutus est Hortensio defendente.] L. Valerium Flaccum ante Ciceronem defendit Hortensius. CICERO in oratione pro Flacco, Erat Flacco irata Tralhana civitas nomine Castriciano, de quo toto respondit Hortensius. Eademque rursus oratione,

Sed de hoc teste totoque Mithridatico differuit, & subtiliter & copiose Qu. Hortensius. Et epistola ultima huius libri scriptum sic est, At Hercule alter tuus familiaris Hortensius quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, cum de Flacci Praetura, & de illo tempore Allobrogum diceret?

Epicratem lascivum fuisse: etenim mihi caligae eius, ut fasciae cretatae non placebant.] Cum Flacco collusisse. Fuit fortasse Epicrates testis aliquis, qui maxime Flacco nocere potuisset, nisi lascivus esse voluisset. Levem autem esse hominem ex eo quod Graecus caligis, quod vir fasciis uteretur, coniecerat M. Tullius. *Caliga* tantum Galli utebantur.

Κύριος παιδείων reprehendere.] Cyri paedia liber est XENOPHONTIS laudatissimus: in quo expressa a Xenophonte est imago iusti ac moderati imperii; unde sumpsit Cicero iocandi occasionem, ut dicat Atticum, qui Cyri Architecti aedificationem reprehendat, Cyri paediam reprehendere.

Cyrus aiebat radiorum διαφάσεις latis luminibus, non tam esse suaves. Etenim ἔστω ὄψις μὲν, &c.] Cyrus existimabat visionem fieri emissis ab oculo radiis non incurrentibus in oculum corporum simulachris: quare angustas fenestras fecerat, ut radii fenestrarum angustis constiparentur, neque ab oculo exeuntes continuo dissiparentur, & disgregarentur propter luminum latitudinem.

Venio nunc ad mensem Ianuarium, & ad ὑπόστασιν nostram ac πολιτείαν.] Mense Ianuario facile perspicui poterat, qualis futurus esset reipublicae status: illo enim mense fundamenta reipublicae iaciebantur.

Nam aut resistendum legi Agrariae.] Quam Caesar laturus est, de agro Campano dividendo: quem Cicero ideo dividi volebat, quod nullum esset praeterea domesticum vectigal.

Ire in Solonium.] CICERO libro primo de divinatione, *Quid amores ac delitiae tuae Roscius, num aut ipse, aut pro eo totum Lanuvium mentiebatur, qui cum esset in cunabulis educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu lumine apposito expergefata nutrix, &c.*

Hunc dico Balbum Caesaris familiarem.] L. Cornelium Balbum, quem Cicero in iudicio de civitate defendit. Balbi duo fuere, hic Caesaris familiaris, & alter quem CICERO *Balbum minorem* vocat, *epistola lib. VIII.* cuius est initium, *Epistolam meam; & epistola* rursus, cuius est initium, *Quod me magno animi motu;* qui post mortem Caesaris cum Hispanias quaestor obtineret, magna pecunia coacta non soluto militibus stipendio duxit se a Gadibus, & in regnum Bogudis sese traiecit. Vide *epistolam Pollionis ad Ciceronem*, cuius est initium, *Balbus Quaestor.*

Cum Caesare reditus in gratiam.] Offensio haec inter Caesarem & Ciceronem nata erat ex sententiae in causa coniuratorum dissensione. CICERO in oratione de provinciis Consularibus, *Posteaquam sum penitus in rempublicam ingressus, ita diffensi ab illo, ut in disfunctione sententiae, coniuncti tamen amicitia maneremus.*

Cum multitudine, senectutis otium.] Senes aetatis vacatione utuntur.

In libro tertio.] Versibus libros tres composuit M. TVLLIVS de rebus suis gestis in Consulatu: quos musarum nominibus inscripsit. In tertio Calliope loquebatur quemadmodum ex sequentibus colligimus, in secundo Vrania, teste ipso CICERONE libro primo de divinatione.

Εἰς οὐρανὸς ἀπίστος, &c.] Homericae huic sententiae non valde dissimile illud Qu. Fabii Maximi quod a CICERONE in *Catone maiore* refertur, *Bonis sit auspiciis quicquid pro repub. fit.*

Ambulationibus Compitalitiis.] Compitalia ineunte Ianuario celebrantur. *Compitalia* autem dicuntur quoniam in compitis sacra fierent. Vide *Catonem capite quinto.*

Et Pomponiam matrem adiungemus.] Iam enim pepererat ex Qu. Ciceronis fratre.

FECISTI mihi pergratum, quod SERAPIONIS librum ad me misisti: ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) millesimam partem vix intelligo; pro eo tibi praesentem pecuniam solvi imperavi; ne tu expensum muneribus ferres. At quoniam nummorum mentio facta est; amabo te, cura, ut cum TICINIO, quoquo modo poteris, transigas; si in eo, quod ostenderat, non stat; mihi maxime placet, ea, quae male emptae sunt, reddi, si voluntate POMPONIAE fieri poterit: si ne id quidem, nummi potius reddantur, quam ullus sit scrupulus; valde hoc velim ante, quam proficiscare, amanter, ut soles, diligenterque conficias. CLODIVS ergo, ut ais, ad TIGRANEM? velim Syripiae conditione: sed facile patior; accommodatius enim nobis est ad liberam legationem tempus illud, cum & QUINTVS noster iam, ut speramus, in otio confederit, & iste sacerdos Bonae deae cuius modi futurus, sciri possit; interea quidem cum Musis nos delectabimus animo aequo, immo vero etiam gaudenti, ac libenti; neque mihi umquam veniet in mentem CRASSO invidere, neque poenitere, quod a me ipso non desciverim. De ge-

geographia, dabo operam, ut tibi satisfaciam: sed nihil certi polliceor; magnum opus est; sed tamen, ut iubes, curabo, ut huius peregrinationis aliquod tibi opus exstet. Tu quidquid indagaris de Rep. & maxime, quos Consules futuros putes, facito, ut sciam: tametsi minus sum curiosus; statui enim nihil iam de Rep. cogitare. TERENTIAE saltum perspeximus; quid quaeris? praeter quercum Dodonaem nihil desideramus, quo minus Epirum ipsam possidere videamur. Nos circiter KAL. aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano; tu, si in Formiano non erimus; si nos amas, in Pompeianum venito; id & nobis erit periucundum, & tibi non sane devium. De muro, imperavi PHILOTIMO, ne impediret, quo minus id fieret, quod tibi videretur; censeo tamen, adhibeas VECTIVM; his temporibus, tam dubia vita optimo cuiusque, magni aestimo unius aestatis fructum palaestrae Palatinae, sed ita tamen, ut nihil minus velim, quam POMPONIAM, & puerum versari in timore ruinae.

IN QVARTAM EPISTOLAM.



erapionis librum.] SERAPION de Geographia scripsit. Vide epistolam ab hinc tertiam.

Cum Ticinio transigas.] De re Qu. fratris mei.

Nummi potius reddantur, quam ullus sit scrupulus.] Sol-

vatur Ticinio quicquid ei debetur, ut hac molestia plane liberati simus. Cum ab aliquo emimus quod ipse ab alio emerat, nummos ei suos reddimus. TERENTIUS in *Adelphis*, Ob male facta haec tantidem emptam postulat sibi tradier. Age iam cupio, modo argentum reddat. *Scrupulus* autem dicitur difficultas & nodus, qui nos male habet. CICERO lib. v. *epist.* cuius est initium, *Ephesum* venimus. Deinde, inquit, exhauri mandata mea, maximeque siquid potest de illo domestico scrupulo quem non ignoras. Interim pro dubitatione ponitur. TERENTIUS in *Phorm.* Ea mortem obiit, e medio abiit: qui fit hac in re scrupulus?

Clodius ergo, ut ais, ad Tigranem.] Clodius ergo cum mandatis a Senatu ad Tigranem legatus mittitur: neque fit Tribunus plebis?

Velim Syriac conditione.] Alii libri VELIM scire conditionem; quae mihi lectio magis placet; ut haec sit sententia, Velim scire cuiusmodi ista est Clodii ad Tigranem legatio, quam honorifica, quam quaestiuosa: ut sciam accepturusne eam Clodius sit.

Sed facile patior.] Sed facile patior Clodium nunc proficisci, & me manere in urbe, quoad ille redeat ex Armenia. Ad liberam enim legationem, quam accipere volo, tempus illud quam hoc accommodatius est: nam & Qu. frater iam in otio confederit, & poterit iam tum intelligi, mecumne volet Clodius contendere. Legatione volebat M. Tullius periculum quod a Clodio impendebat, declinare; quare tum abesse volebat ab urbe, cum in urbe esset Clodius, non cum abesset. Cum ergo audivit Clo-

dium mitti ad Tigranem, differendum sibi legationis tempus in Clodii reditum putavit.

Liberam legationem.] De liberis legationibus ita M. TULLIUS III. de *Legibus*, Iam illud apertum profecto est nihil esse turpius, quam quinquam legari, nisi reipub. causa. Omitto quemadmodum isti se gerant atque gesserint, qui legatione haereditates aut syngraphas persequuntur. In hominibus est hoc fortasse vitium, sed quaero quid reapse sit turpius, quam sine procuratore Senator, legatus, sine mandatis, sine ullo reipub. munere. Quod quidem genus legationis ego COS. quanquam ad Senatus commodum pertinere videatur, tamen approbante Senatu frequentissimo, nisi mihi tum levis Tribunus plebis intercessisset: sustulisset, minui tamen tempus, & quod erat infinitum, annum feci.

In otio iam confederit.] Rebus provinciae dispositis iam & constitutis: cum meus adventus interpellare eum non poterit.

Istae sacerdos Bonae deae cuiusmodi futurus sit, &c.] Clodium dicit, qui in operto Bonae deae fuerat: quemadmodum dicebamus primo libro. Clodium male timebat Cicero, sed quia Pompeius illi pollicebatur nihil Clodium adversus eum facturum, nesciebat qualis esset futurus Clodius.

Neque mihi unquam veniet in mentem Crasso invidere.] Qui relicto Senatu se totum Caesari dedit, & legem Caesaris Agrariam approbavit.

Magnum opus est.] Et quia Geographiae scriptores valde dissentiunt, & quia Geographica latinis literis mandare ita ut ornate dicantur, est perdifficile.

Vt huius peregrinationis.] Errabat tum Cicero circum suas villulas.

Et maxime quos COS. futuros putes.] Cicero necesse maxime erat scire qui COS. futuri essent: ut sciret quantam in illis spem praesidii reponere deberet adversus Tribunitios furores.

Tametsi minus sum curiosus.] Quemadmodum CVRARE cum per se ponitur, *Rempub. curare* significat, quemadmodum in iis libris a nobis notatum est, ita CVRIOSVS, *reipublicae curiosus* dicitur. Quod ex iis verbis quae sequuntur intelligi facile potest. *Statui enim, inquit, nihil iam de republica cogitare.*

Praeter quercum Dodoneam.] Dodone urbs Epiri in qua fertur quercus vaticiniva.

Et tibi non sane devium.] Et tibi in Epirum proficiscenti non valde devium; redibat autem Atticus Roma cum literis commendatitiis a Senatu ad Sicyonios. Sane pro valde dici iam antea notavimus.

Philotimo imperavi.] Philotimus libertus erat Terentiae; de quo CICERO libro VI. iis verbis, *τῆς δάμαρτος μὲν ὁ ἀπελεύθερος, & epistola se-*

quente, τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς ἐξελεύθερος. Vxoris, inquit, meae libertus, Philotimum significans quem in bonis Milonis furacissime versatum suspicabatur.

Adhibeas Vectium.] Vectius hic architectus erat; cuius multis in locis meminit CICERO.

His temporibus tam dubia vita optimi cuiusque.] His temporibus quibus tam multae insidiae bonorum vitae & saluti fiunt.

Vnius aestatis fructum palaestrae Palatinae.] In palatio habitabat M. Cicero: ubi quae aestate fiebat palestra, eam de muro illo suo spectabat; quem ea de causa nisi esset necesse, dirui nolebat. Muro septae erant domus nobilium; neque vero domus dicuntur, nisi nobilium & potentum. Fortasse ἀπὸ τῆς πάλης, hoc est a palestra & lucta dictum palatium sit.

CVPIO equidem, & iam pridem cupio Alexandriam, reliquamque Aegyptum visere, & simul ab hac hominum satietate nostri discedere, & cum aliquo desiderio reverti: sed hoc tempore, & his mittentibus, Αἰδέομαι τρώας, καὶ τρωάδας ἐλκεσιπέπλους. quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo praemio de sententia esse deductum? πρῶτος μοι πρῶτος ἐλεγχεῖν ἀναθήσει CATO ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus; quid vero Historiae de nobis ad annos D. C. praedicarint? quas quidem ego multo magis vereor, quam eorum hominum qui hodie vivunt, rumusculos; sed opinor, excipiamus, & expectemus; si enim deferretur, erit quaedam nostra potestas, & tum deliberabimus; etiam est in non accipiendo non nulla gloria; quare si quid Θεοφάνης tecum forte contulerit, ne omnino repudiaris; de istis rebus expecto tuas litteras; quid ARRIVS narret; quo animo se destitutum ferat; ecqui Consules parentur; utrum, ut populi sermo, POMPEIVS; & CRASSVS; an, ut mihi scribitur, cum GABINIO SERVIVS SVLPICIUS: & num quae novae leges: & num quid novi omnino: & quoniam NEPOS proficiscitur, cuinam Auguratus deferatur: quo quidem uno ego ab istis capi possum; vide securitatem meam; sed quid ego haec, quae cupio deponere, & toto animo, atque omni cura Φιλοσοφείν? sic, inquam, in animo est: vellem ab initio; nunc vero, quoniam, quae putavi esse praeclara, expertus sum, quam essent inania, cum omnibus Musis rationem habere cogito. Tu tamen, de CVRTIO ad me rescribe certius; & num quis in eius locum parentur; & quid de P. CLODIO fiat: & omnia, quemadmodum polliceris, ἐπὶ χολῆς scribe: & quo die Roma te exiturum putes, velim ad me scribas; ut certiosem te faciam, quibus in locis futurus sum; epistolamque statim des de iis rebus, de quibus ad te scripsi; valde enim expecto tuas litteras.

IN QVINTAM EPISTOLAM.



Ab hac hominum nostri satietate discedere.] A tempore Quaesturae Siciliensis semper in urbe manserat M. Cicero: omnem enim peregrinationem & laboriosam & obscuram esse putabat iis, quorum opera domi illustris esse posset.

Sed hoc tempore.] Cum maxime respub. nostra opera & consilio eget.

Et is mittentibus.] Caesare, Crasso & Pompeio. Legare, mittere est; unde quicumque a Senatu quacunque de causa mittuntur, Legati dici possunt.

Αἰδέομαι τρώας, &c.] Vereor bonorum repre-

prehensionem: qui si ab iis legationem accepero, & hoc tempore ab urbe discessero, dicent me praemio aliquo deductum de sententia. Versus autem est ex VI. *Iliados*, quo uxori Andromachae retinenti se & non sinenti exire ad pugnam Hector respondit, *Timere se Troianorum & Troianarum vituperationem, praecipue vero Polydamantis.* Quemadmodum & nunc Cicero Catonis maxime reprehensionem pertimescit, cuius ille iudicium pluris faciebat, quam multorum millium hominum.

An me aliquo praemio de sententia esse deductum.] M. Tullius legem Agrariam, quam Caesar ferebat, neque approbare volebat, neque vero audebat resistere, quare abesse Roma volebat.

Si enim deferatur.] Libera legatio a Caesare. Delatam autem sibi a Caesare quam vellet legationem scribit CICERO in oratione de provinciis Consularibus.

Erit quaedam nostra potestas.] Vti poterimus, si ita videbimus rationes nostras postulare.

Quare siquid Θεοφάνης tecum forte contulerit, ne repudiaris.] Quare si Theophanes Pompeii libertus tecum loquetur de legatione, ne repudies & reiicias, sed dic nescire te quid mihi animi sit. Theophanes hic intimus erat Pompeii consiliis.

Quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat.] Per Arrium cum Luceio coierat Caesar adversus Bibulum: fidemque Arrio dederat, eum se consulem proximo anno effecturum: quam tamen non praestitit.

Et quoniam Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur.] C. Caesare cos. diem obiit Qu. Metellus Celer Augur frater Qu. Metelli Nepotis: qui in fratris locum petiisset, nisi maluisset in provinciam ire ex Praetura. Absentium in petitione auguratus non solebat haberi ratio. Vide epistolam ad Brutum, cuius est initium A D. V. Calend. Maii.

Quo quidem uno ego ab istis capi possum.] Nulla alia ab istis ratione capi possum & de sententia deduci, quam si mihi auguratum deferant. Augurum quanta in repub. erat auctoritas, docet M. TVLLIVS libro secundo de legibus.

Videte civitatem meam.] Locus corruptus est. Legendum puto, *VIDE levitatem meam*; hac sententia, Vide quam levis sim, qui Auguratus praemio deduci de sententia possum.

Omni cura φιλοσοφείν.] Nihil iam de repub. cogitare, sed tantum cum Musis omnibus rem habere. Aliter hoc interpretatur ERASMVS, in proverbio *Philosophari*.

Sic vellem ab initio.] Poenitet M. Tullium ad rempub. unquam accessisse: experiendo enim didicerat, miseros esse eos, qui populo servirent.

Tu tamen de Curtio ad me rescribe certius, & numquis in eius locum paretur. Hunc Curtium existimo fuisse in XX. viris Agrariis a Caesare institutis.

Et quid de P. Clodio fiat.] Mittatur ne ad Tigranem, an in locum Curtii subrogetur.

QVOD tibi superioribus litteris promiseram, fore, ut opus extaret huius peregrinationis; nihil iam magnopere confirmo; sic enim sum complexus otium, ut ab eo divelli non queam; itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antii festivam copiam: aut fluctus numero; nam ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneae; a scribendo prorsus abhorret animus; etenim γεωγραφικά, quae constitueram, magnum opus est: ita valde ERATOSTHENES, quem mihi proposueram, a SERAPIONE, & ab HIPPARCHO reprehenditur; quid censes, si TYRANNIO accesserit? & hercule sunt res difficiles ad explicandum, & ὁμοειδής: nec tam possunt ἀνθογραφείσθαι, quam videbatur: & quod caput est, mihi quaevis satis iusta causa cessandi est; quin etiam dubitem, an hic, an Antii confidam, & hoc tempus omne consumam: ubi quidem ego malletm Duum virum, quam Romae me fuisse; tu vero sapientior Butbroti domum parasti; sed, mihi crede, proxima est illi municipio haec Antiatum civitas; esse locum tam prope Romam, ubi multi sint, qui VATICINIVM numquam viderint? ubi nemo sit, praeter me, qui quemquam ex XX. viris vivum, est saeculum, velit? ubi me interpellat nemo, diligant omnes? hic nimirum πολίτευτον. nam istuc non solum non licet, sed etiam taedet; itaque ἀπέκδοτα, quae tibi uni legamus, Theopomponio genere, aut etiam asperiore multo, pangentur; neque aliud iam quicquam πολίτευμα, nisi odisse improbos, & id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi voluptate. Sed ut ad rem, scripsi ad Quaestores urbanos de QVINTI fratris negotio; vide, quid narrent; ecquā spes sit

sit denarii, an cistophoro Pompeiano iaceamus. Praeterea de muro statue, quid faciendum sit. Aliud quid? etiam; quando te proficisci istinc putes, fac, ut sciam.

IN SEXTAM EPISTOLAM.



ut fluctus numero. Quod homines otiosi faciunt decimum credo fluctum observantes, qui maximus esse dicitur. OVIDIUS,

Qui venit hinc fluctus fluctus supereminet omnes.

Posterior nono est, undecimoque prior.

Quid si Tyrannio accesserit? TYRANNIO bellum Mithridaticum scripsit, & Pontum descripsit. Vixit Ciceronis temporibus. Huic enim Sylla suae bibliothecae curam & custodiam commisit.

Hoc omne tempus.] Toto hoc Caesaris Consulatu.

Butbroti domum parasti.] Procul ab urbe refugisti. Buthrotum oppidum Epiri est in sinu maris positum.

Illi municipio haec Antiatum civitas.] Buthrotum municipium erat Corcyraeum. Vide epistolam lib. 1111. cuius est initium, *MULTA me in epistola, &c.*

Vbi multi sint, qui Vatinius nunquam viderint.] P. Vatinius COS. Caesare Tribunus plebis fuit, qui maxime Caesaris actiones iuvit, in quem Ciceronis extat oratio.

Vbi nemo sit praeter me qui quenquam ex xxv. viris unum esse salvum velit.] Aut in xxv. viris. Agrariis amicus Ciceronis aliquis fuit, aut ridet Cicero cum se excipit. Caesar viginti viros agris aestimandis creavit: quibus dividendis quinque xx. illis viris opibus & dignitate prae-

stantiores sibi tamen minime pares addidit. Testis DION. lib. xxxviii. Quinqueviratum a Caesare oblatum repudiavit M. Cicero, quem admodum testis ipse est in oratione de provinciis Consularibus iis verbis, *Me ille ut quinqueviratum acciperem rogavit, me in tribus sibi coniunctissimis Consularibus esse voluit, mihi legationem quam vellem, & quanto cum honore vellem detulit: quae ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiae repudiavi.*

Itaque *ἀνέδοτα* quae tibi uni legamus, Theopomponio genere aut etiam asperiore multo pangentur.] *Ανέδοτα* scripta sunt, quae edi volumus & evulgari. Anecdota ergo scribebat Cicero in Caesarem, Crassum & Pompeium, genere Theopompio; sic enim lego, non Theopomponio. Fuit enim Theopompos quidam veteris comoediae scriptor: cuius quae & quanta fuerit acerbitas in vitis hominum, atque ipsis etiam hominibus notandis nemo nescit.

An cistophoro Pompeiano iaceamus.] Cistophorus, genus Asiaticae pecuniae vilissimum cuius magnam vim in Asia Pompeius reliquerat; unde Qu. Ciceroni Quaestores urbani solvere eam pecuniam volebant, quam ex aerario ad eum mittere in provinciam in denario debebant: unde Praetor suam aleret familiam. Cistophorus autem genus id pecuniae dicebatur, quod haberet pro nota & signo virginem ferentem capite in cista sacra Cereris: quae virgines etiam *Canepori* ut *Cistophori* dicebantur.

DE Geographia etiam atque etiam deliberabimus. Orationes autem me duas postulas: quarum alteram non licebat mihi scribere, quia abscederam; alteram, ne laudarem eum, quem non amabam; sed id quoque videbimus; denique aliquid extabit; ne tibi plane cessasse videamur. De PUBLIO quae ad me scribis, sane mihi iucunda sunt: eaque etiam velim, omnibus vestigiis indagata, ad me afferas, cum venies; & interea scribas, si quid intelliges, aut suspicabere, & maxime de legatione quid sit acturus; equidem ante, quam tuas legi litteras, in hominem ire cupiebam; non mehercule, ut differrem cum eo vadimonium; (nam mira sum alacritate ad litigandum) sed videbatur mihi, si quid esset in eo popolare, quod plebeius factus esset, id amissurus; quid enim ad plebem transisti? ut TIGRANEM ires salutatum? narra mihi, reges Armenii patricos salutare non solent? quid quaeris? acueram me ad exagitandam hanc eius legationem; quam si ille contemnit, & si, ut scribis, bilem id commoveret & latoribus, & auspiciis legis curiatae, spectaculum egregium. Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster PUBLIUS: primum, qui cum in domo CAESARIS quondam unus vir fuerit, nunc ne in Viginti quidem esse potuerit: deinde, alia legatio dicta erat, alia data est; illa

illa opima ad exigendas pecunias DRUSO, ut opinor, Pisauensis nebuloni VATINIO reservatur: haec ieiuna, ac bella relegatio datur ei, cuius tribunatus ad istorum tempora reservatur; incende hominem, amabo te, quoad pot' est; una spes est salutis, istorum inter istos dissensio; cuius ego quaedam initia sensi ex CVRIONE; iam vero ARRIVS Consulatum sibi ereptum fremit, MEGABOCCHVS, & haec sanguinaria iuventus inimicissima est; accedat etiam ista rixa Auguratus; spero me praeclaras de istis rebus epistolas ad te saepe missurum. Sed, illud quid sit, scire cupio, quod iacis obscure, iam etiam ex ipsis Quinque viris loqui quosdam; quidnam id est? si est enim aliquid, plus est boni, quam putaram; atque haec, sic velim existimes, non me abs te κατὰ τὸ πρακτικὸν quaerere; quod gestiat animus aliquid agere in Rep. iam pridem gubernare me taedebat, etiam cum licebat; nunc vero cum cogar exire de navi, non abiectis, sed receptis gubernaculis; cupio istorum naufragia ex terra intueri, cupio, ut ait tuus amicus SOPHOCLES,

καὶ ὑπὸ σέγῃ:

Πικρῶς ἀκρίβει ψεκῶδος εὐδῶση φρεν.

De muro, quid opus sit, videbis. Castricianum mendum nos corrigemus: & tamen ad me QUINTVS CIO CCIO IOO scripserat, non ad sororem tuam H-S XXX. TERENCE tibi salutem dicit. CICERO tibi mandat, ut ARISTODEMO idem de se respondeas, quod de fratre suo, sororis tuae filio, respondisti. De Anathibia quod me admones, non negligemus. Cura, ut valeas.

IN SEPTIMAM EPISTOLAM.



Ne laudarem eum quem non amabam.]

Orationem pro lege Manilia significare videtur, in qua Pompeium mirifice laudat.

Ne tibi plane cessasse videamur.]

In hac nostra peregrinatione.

De Publio quae ad me scribis.] Publium iratum Caesari & Pompeio esse propter legationem.

Et si id bilem commovet & latoribus & auspiciis legis Curiatae, egregium spectaculum.] C. Caesar legem Curiatam de adoptione Clodii tulit, Pompeius autem in auspicio fuit. Lex Curiata est, quae comitiis curiatis fertur: Comititia porro Curiata ea esse scribit AVLVVS GELLIVS lib. xv. cap. xvii. cum ex generibus omnium suffragium fertur. De quibus vide orationem de lege Agraria ad populum.

In domo Caesaris quondam unus vir fuerit.] Hac de re libro primo scripsimus in epistola cuius est initium, Accepi tuas tres epistolas.

Ille opima ad exigendas pecunias.] Caesar ex ea pecunia, quae ex novis vestigalibus veniebat, agros emi volebat, ad quam exigendam Livium Drusum misit.

Pisauensis nebuloni Vatinio.] Vatinus Coloniā Pisaurum deduxit. De qua legatione vide orationem in Vatinium.

Cuius Tribunatus ad istorum tempora reservatur.] Clodii Tribunatus ad Caesaris tempora reservabatur, ut absentem tueretur, prorogaret imperium, nec sineret ei successorem mitti.

Megabocchus, & haec sanguinaria iuventus inimicissima est.] Novum & infrequens loquendi genus. Megabocchum autem Pompeium vocat, qui Megabocchum Asiae regulum in regnum restituerat.

Ista rixa Auguratus.] Cui Auguratus defertur, & quis in locum Metelli demortui Augur creetur.

Etiam ex ipsis quinqueviris quosdam loqui.] De iis quinqueviris, quos agris dividendis Caesar crearat, iam antea scripsimus.

Κατὰ τὸ πρακτικὸν.] Quod aliquid agere in republica velim: & ut Ciceronis utar verbis, quod gestiat animus aliquid agere in republica.

Cupio istorum naufragia ex terra intueri.] Sumptum est ex illo LVCRETII,

Suave mari magno iactantibus aequora ventis
Alterius magnum e terra spectare laborem.

Non quia vexari quenquam est iucunda voluptas;
Sed quibus ipse malis careas quia cernere suave est.

Castricianum mendum nos corrigemus.] Retulerat Quintus in tabulas plus sibi Caltricum debere, quam debebat. Et ex Asia ad M. fratrem scripserat tantum debere Castricum, quantum erat in tabulis, ad uxorem vero suam minus aliquanto. xxx. tantum millia H-S. cum in tabulis esset IOOO. hoc est L. millia; eum enim solum numerum ex tribus relinquendum puto. Et scribendum praeterea NAM ubi scriptum est NON.

De fratre suo.] Fratre suo patrueli. Fratres patruales dici fratres libro primo docuimus.

EPISTOLAM cum a te avide expectarem ad vesperum, ut soleo; ecce tibi nuntius, pueros venisse Roma; voco, quaero, ecquid litterarum? negant; quid ais, inquam, nihil ne a POMPONIO? perterriti voce & vultu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in via; quid quaeris? permolesti tui; nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili & suavi venerat; nunc, si quid in ea epistola, quam ante diem XVI. Kal. Mai. dedisti, fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus: sin nihil praeter iocationem, redde id ipsum; & scito CURIONEM adolescentem venisse ad me salutatum; valde eius sermo de PUBLIO cum tuis litteris congruebat; ipse vero mirandum in modum reges odisse superbos; peraeque narrabat incensam esse iuventutem, neque ferre haec posse; bene habemus; nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiae; quamquam, licet me SAUFEIVM putes esse, nihil me est inertius. Sed cognosce itinera nostra; ut statuas, ubi nos visurus sis. In Formianum volumus venire Parilibus: inde, (quoniam putas praetermittendum nobis esse hoc tempore cratera illum delicatum) Kal. Mai. de Formiano proficiscemur, ut Antii simus A. D. v. Non. Mai. ludi enim Antii futuri sunt a IV. ad prid. Non. Mai. eos TULLIA spectare vult. inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum, Romam A. D. Kal. Iun. Te aut in Formiano, aut Antii, aut in Tusculano, cura, ut videamus. Epistolam superiorem restitue nobis, & appinge aliquid novi.

IN OCTAVAM EPISTOLAM.



soleo.] Nullus dies tum intermittebatur, quin Atticus ad Ciceronem scriberet.

Curionem adolescentem.] C. Curionem filium.

Valde eius sermo de Publio cum tuis litteris congruebat.] Clodium propter legationem iratum esse Caesari.

Bene habemus nos: si in istis spes est, opinor aliud agamus.] Oratio haec sic debet interpungi, *Bene habemus nos, si in istis spes est. Opinor aliud agamus.* Bene, inquit ridens, res se nostrae habent, si nostrae spes in iuventute tam delicata, tam levi, tam corrupta sunt. Opinor nullum iam remedium huic malo posse adhiberi. Ea enim sententia dicitur illud ALIVD agamus. CICERO epist. I. lib. XIII. *Quare aut ista proficient, aut aliud agamus.*

Ego me do historiae.] Legitne an scribit historiam. Scribere puto historiam sui duntaxat temporis: ad quam scribendam eum hortabatur Atticus. Sic enim epistola cuius est initium, *Negent illi. Quod me ut scribam aliquid hortaris, crescit mihi quidem, ut dicis Indies materias: sed tota res etiam nunc fluctuat κατ' ὀπίσθην τρεχέτων: quae si decesserit, magis erunt iudicata quae scribam.* In proemio libri de legibus Atticus a Cicerone postulari & efflagitari historiam ait: hortaturque idem Ciceronem ad scribendum: censet autem aequalem aetatis suae memoriam sumat.

Quamquam licet me Saufeium putes esse.] Saufeius, cuius multis locis in iis epistolis meminit CICERO, Philosophus Epicureus erat:

quo nihil erat lentius, nihil inertius, nihil otii & desidiae magis amicum. *Quadam epistola scribit CICERO literas, quas Saufeio ad Atticum dederat, Putare se ut Philosophi ambulat, sero redditum iri.*

Parilibus.] XI. Calend. Maias qui natalis dies urbis fuit. OVIDIVS,

Vbi festus erat dixere Parilia Patres.

Hic primus coepit moenibus esse dies.

Inde (quoniam putas praetermittendum nobis esse hoc tempore cratera illum delicatum) Calend. Mai. de Formiano proficiscemur.] De Formiano, interpretis verba esse videntur; quid enim opus fuit ea apponi, cum posuisset, *INDE: nisi legere vis deinde, non inde.* Crateres autem fauces sunt & ora montium, quibus flamma erumpit. LVCRETIVS,

In summo sunt crateres vertice, ut ipsi Nomitant, quos nos fauces perhibemus & ora. Dicuntur item crateres fontium labra & receptacula, unde fistulis aqua decurrit. Aut ergo in Formiano mons erat aliquis, aut vero fons mirabilis & visendae naturae, quales olim multi cum montes, cum fontes erant, & vero hodie sunt; quae quia homines delicati duntaxat & otiosi ab animo visere soleant, non esse Cicero commorandum diutius in Formiano censebat Atticus, ne reipublicae difficillimis temporibus peregrinari delicate videretur. Quare M. TULLIVS epistola abhinc tertia ita scribit, *Volo ames constantiam meam, ludos Antii spectare non placet.* Est enim ὑποσολοικον cum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repente ἀναφαίεσθαι non modo delicate, verum etiam inepte peregrinantem.

S. V. B. E. Cum mihi dixisset CAECILIUS Quaeſtor, puerum ſe Romam mittere, haec ſcripſi raptim, ut tuos elicerem mirificos cum PVBLIO dialogos, cum eos de quibus ſcribis; tum illum, quem abdis, & ais, longum eſſe, quae ad ea reſponderis, perſcribere; illum vero; qui nondum habitus eſt, quem illa βοῶπις, cum e Solonio redierit, ad te eſt relatura; ſic velim putes, nihil hoc poſſe mihi eſſe iucundius; ſi vero, quae de me pacta ſunt, ea non ſervantur; in caelo ſum: ut ſciat hic noſter Hieroſolymarius, traductor ad plebem, quam bonam meis putiſſimis orationibus gratiam retulerit: quarum expecta divinam παλινοδία. etenim, quantum coniectura auguramur, ſi erit nebulo iſte cum his Dynaſtis in gratia, non modo de cynico Conſulari, ſed ne de iſtis quidem piſcinarum Tritonibus poterit ſe iactare; non enim poterimus ulla eſſe in invidia, ſpoliati opibus, & illa Senatoria potentia; ſin autem ab his diſſentiet; erit abſurdum in nos invehi; verumtamen invehatur; ſeſtively, mihi crede, & minore ſonitu, quam putaram, orbis hic in Rep. eſt converſus: citius omnino, quam potuit; id culpa CATONIS, ſed ruruſus improbitate iſtorum, qui auſpicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam, & Liciniam, qui Caeliam, & Didiam neglexerunt; qui omnia remedia Reip. effuderunt; qui regna, qui praedia tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt; video iam quo invidia tranſeat, & ubi ſit habitatura; nihil me exiſtimaris, neque uſu, neque a THEOPHRASTO didiciſſe, niſi brevi tempore, deſiderari noſtra illa tempora, videris; etenim ſi fuit invidioſa Senatus potentia; cum ea non ad populum, ſed ad tres homines immoderatos redacta ſit, quidnam cenſes fore? proinde iſti licet faciant, quos volent, Conſules, Tribunos pleb. denique etiam VATINII ſtrumam ſacerdotii dibapho veſtiant; videbis brevi tempore magnos non modo eos, qui nihil titubarunt, ſed etiam illum ipſum, qui peccavit, CATONEM; nam nos quidem, ſi per iſtum tuum ſodalem PVBLIVM licebit, σοφιστεύειν cogitamus: ſi ille cogitat, tantum duntaxat nos defendere; &, quod eſt proprium artis huius, ἐπαγγέλλομαι

Ἄνδρ ἀπαμύνοσθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνη.

Patria propitia ſit: habet a nobis, etiam ſi non plus, quam debitum eſt, plus certe, quam poſtulat eſt; male vobi malo alio gubernante, quam tam ingratuſ veſtoribus, bene gubernare. Sed haec coram commodius; nunc audi, quod quaeris. Antium me ex Formiano recipere cogito A. D. v. Non. Mai. Antio volo Non. Mai. proficiſci in Tuſculanum; ſed cum e Formiano rediero, (ibi eſſe uſque ad prid. Kalend. Mai. volo.) faciam ſtatim te certioſem. TERENCEIA tibi ſalutem. Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεταιται Τίτον Αθηναῖον.

IN NONAM EPISTOLAM.



uem illa βοῶπις, cum e Solonio redierit, ad te eſt relatura.] Quem βοῶπιν vocet, non poſſum equidem aſſeverare; βοῶπιδος locis quatuor poſt meminit: in epiſtola cuius eſt initium, NEGENT illi; iis verbis, De cogitatione Clodii, de lituis βοῶπιδος, de ſignifero Athenione; epiſtola ab illa tertiae initium hoc eſt, Quantam tu mihi moves expectationem de ſermone Bibuli, quantam de colloquio βοῶπιδος. Epiſtola ruruſum cuius eſt initium, Quam vellem. Puto, inquit Pompeium Craſſo urgente, ſi tu aderis, qui per βοῶπιν ex ipſo intel-

ligere poſſis, qua fide ab illis agatur, nos aut ſine moleſtia, aut certe ſine errore futuros. Epiſtola demum cuius eſt initium, Nunquam ante. Sed βοῶπιδος, inquit, noſter conſanguineus non mediocres terrores denunciat, & Sampſiceramo negat, caeteris prae ſe fert & oſtentat. Quibus ex locis id primum colligo, per βοῶπιν conſanguineum aliquem P. Clodii intelligi, qui tam graviter ferat, Clodium ita contemptum a Caefare, ut bellum illi minitetur, & clauſicum quodammodo canat: & per quem Atticus ex ipſo Publio (ſic enim locum illum quem citavi ex epiſtola cuius initium eſt, Quam vellem, intelligendum aut reſtituendum puto) intelligere poſſet

posset, qua fide Pompeius & Crassus causam Ciceronis agerent apud Clodium. Quod si locum, quem ultimum citavi ex *epistola*, *Nunquam ante*; ita legeremus, *Sed βωπιδος nostrae consanguineus, &c.* (quae depravatio nullo fieri negotio potuit) non dubitarem dicere per βωπιδον intelligi a Cicerone *Appium Clodium*, fratrem Publii. De quo ita in *epistola* cuius est initium, *Quam vellem, Cum hoc (Publium intelligit) Pompeius egit, & ut ad me ipse referebat, (alium enim neminem habeo testem) vehementer egit, cum diceret in summa se perfidiae & sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, cum Plebeium fieri passus est: sed fidem recepisse sibi, & ipsum & Appium de me.* βωπιδος apud HOMERUM Iunonis est epitheton: quod magnis eam esse oculis fingat.

De me pacta sunt, non servantur.] Publio Clodio ut me oppugnet a Caesare & Pompeio promissa.

Noster Hierosolymarius ad plebem traductor.] Pompeius in auspicio fuit eo die, quo *lex Curiata* de P. Clodio lata est; quam quia ferri passus est, cum impedire posset, *Clodii ad plebem traductorem* Pompeium appellat, *Hierosolymarium*, quia Hierosolymas observato die sabbathi cepit. Vide *orationem pro Flacco*.

Meis putissimis orationibus gratiam retulerit.] In quibus ita a me laudatur, ut nihil supra fieri possit. *Putissimae* autem orationes sunt purgatissimae & limatissimae.

Non modo de Cynico Consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare.] Si Clodius cum Caesare Crasso & Pompeio in gratia erit, non modo de me, sed ne de piscinariis quidem nostris iactare se poterit, hoc est non poterit nostram potentiam ad populum criminari: nulla enim invidia esse poterimus spoliati opibus, & illa Senatoria potentia. Se *Cynicum Consularem* vocat, propter summam & libertatem in sententia dicenda, & reprehendo. Vide *praefat. AMMONII in Categorias Aristot.* Per *piscinarios* autem *Consulares* L. & M. Lucullos, & Qu. Hortensium intelligit, de quibus scripsimus *libro superiore*: quibus actiones Caesaris non placebant. De Tritone ita M. TULLIVS primo de *natura deorum*, *Quod si fingere nobis formas & iungere velimus, qualis ille maritimus Triton pingitur natantibus invehens belluis adiunctis humano corpori, nolis esse.*

Et minore sonitu quam putaram orbis hic est conversus in repub.] In rebuspublicis orbis quidam est & vicissitudo gratiae, invidiae, potentiae, & impotentiae: ita ut iidem homines possint alias in repub. omnia, summaque gratia apud suos cives sint, alio tempore nihil possint, & nihil tam populo sit invisum, quam ipsorum nomen.

Id culpa Catonis.] Qui equites a Senatu alienavit, a quibus & poterat & solebat Senatus po-

tentia autoritasque defendi. Culpa ergo Catonis reipublicae statum meis consiliis fundatum & constitutum amisimus, translataque potentia Senatus est ad tres homines, a quibus video rursus ipsorum improbitate, ad Senatum redire, & illum ipsum qui peccavit Catonem: ita enim rempub. labefactarunt & affixerunt, ita illa sua potentia immoderate abusi sunt, ut ferre eos nemo diutius iam possit.

Qui auspicia, qui legem Aeliam, &c.] *Lege Fusia* auspicio ius & autoritas confirmabatur, cautum enim ea erat, *Ne quis quo die de caelo servatum sciret, cum populo ageret.]* *Lege* autem *Aelia obnunciatio confirmabatur*: hoc est cavebatur, ut obnuncianti pareretur. Vtramque hanc legem Caesar in suo Consulatu contempsit, ac pro nihilo putavit: qui etsi sciret Bibulum Collegam de caelo quotidie servare, eique per edicta, quoniam in publicum prodire non audebat, Bibulus obnunciaret, nunquam tamen ea res deterrere eum potuit, quominus cum populo ageret. Vide *orationem pro domo sua, & Vatinianam interrogationem, & epistolam huius libri, Coenato mihi.*

Qui Iuniam & Liciniam.] Legis Iuniae Liciniae multis locis meminit Cicero, in *epistola lib. IIII. Occupationum mearum.* In *oratione pro Sestio*; & in *Vatiniana interrogatione*, ubi corrupte pro IUNIA legebatur *Iulia*; qua lege postulatam Vatinium scribit M. CICERO. Quae tamen eius legis sententia fuerit, non memini legisse. Leges Licinias plurimas fuisse commemini, quas omnes in *nostro commentario in Vatinianam interrogationem* enumeravimus. *Epistol. lib. IIII.* quam citavimus, hac lege absolutum Catonem legimus. Catonem autem adolescentem intelligo, qui cum *de ambitu* postulare Gabinium vellet, neque Praetores sui potestatem facerent, neque adiri possent, in concionem ascendit, & Pompeium privatam Dictatorem appellavit: quemadmodum scribit M. TULLIVS in *epist. ad Qu. fratrem*, cuius est initium, *Stathius ad me venit.*

Qui Caeciliam & Didiam.] Scribendum est *Caeciliam*. M. TULLIVS in *oratione pro domo sua*, *Quae est quasi alia vis, quae sententia Caeciliae legis & Didiae, nisi haec, ne populo necesse sit in coniunctis rebus compluribus, aut id quod nolit, accipere, aut id quod velit repudiare?* Haec autem lex Consularis erat: lata a Caecilio Metello, & T. Didio COSS.

Qui regna.] Aegypti & Galliarum intelligit: Consule enim Caesare de Ptolomaeo rege Aegyptio transactum est, & Ariovistus rex Galliae a Senatu appellatus. CAESAR primo de *bello Gallico*, *His responsis ad Caesarem relatis, iterum ad Ariovistum Caesar legatos cum iis mandatis mittit: Quoniam tanto suo populique Romani beneficio affectus esset, cum in Consulatu suo rex atque amicus a Senatu appellatus esset, ne in*

colloquium venire invitatus gravaretur.

Qui praedia Tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt.] Legendum videtur, qui praedia, qui Tetrarchias. Praedium Tusculanum dederat Caesar Cornelio Balbo. CICERO lib. VII. epistola, Dionysius vir optimus. Placet etiam me expulsus, & agrum Campanum periisse, & adoptatum Patritium a Plebeio, Gaditanum a Mityleneo, & Labieni divitiae, & Mamurrae, placent & Balbi horti & Tusculanum? Tetrarchias quasdam dedisse Caesarem in suo Consulatu inde colligimus, quod CICERO Vatinio, qui Caesarem maxime iuvabat, obicit foedera eum fecisse Tribunum plebis cum Tetrarchis.

Nilil me existimaris neque usu, neque a Theophrasto didicisse, nisi, &c.] THEOPHRASTVS de temporum momentis & rerum inclinationibus & mutationibus scripsit. CICERO libro de finibus quinto, Cumque uterque eorum docuisset qualem in repub. principem esse conveniret, pluribus praeterea cum scripsisset, qui esset optimus reipub. status, hoc amplius Theophrastus, quae essent in repub. inclinationes rerum, & momenta temporum quibus esset moderandum utcunque res postularer.

Etenim si fuit invidiosa Senatus potentia.] Nostrorum temporum.

Faciant quos volent COSS. Tribunos plebis.] A quibus absentes defendantur. COSS. Gabi-

nium & Pisonem, Tribunum plebis Clodium.

Denique strumam Vatinii sacerdotii dibapho vestiant.] Denique nebulonem Vatinium augurem faciant. Voluisse Vatinium in locum Qu. Metelli fieri augurem testatur CICERO in Vatiniana interrogatione.

Σοφιστεῦειν cogitamus.] Nunc σοφιστεῦειν dicit, quod antea φιλοσοφεῖν hoc est, cum Musis rem habere, neque reipub. partem ullam attingere.

Si ille cogitat, tantum duntaxat nos defendere, & quod est proprium artis huius ἐπαγγέλλομαι ἀνδρὶ ἀπαμύνεσθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνη.] Quomodo se tantum cogitat defendere, si denuntiat ulturum se eum qui primus laceffiverit? ERASMVS in Chiliadibus hunc locum citans NOS offendere legit, non defendere: quae mihi lectio magis placet; ut ita scriptum fuisse putem, Si ille cogitat tantum duntaxat nos offendere, id quod est proprium artis huius, ἐπαγγέλλομαι ἀνδρὶ ἀπαμύνεσθαι, &c. Hac sententia, Si Clodius non Caesarem, non Pompeium cogitat oppugnare, sed me duntaxat, ei ego iam ante denuncio ut videat quid agat, quo progrediatur: ulturum esse me graviter eum qui primus laceffierit. Id quod proprium esse eloquentiae vult, ut ea ultrix sit nostrarum iniuriarum.

VOLO ames meam constantiam; ludos Antii spectare non placet; est enim ὑποσόλοιον, cum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repente ἀναφάλλεσθαι non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem; quare usque ad Non. Mai te in Formiano expectabo; nunc fac, ut sciam, quo die te visuri simus. Ab Appii Foro, hora quarta; dederam aliam paulo ante Tribus tabernis.

IN DECIMAM EPISTOLAM.

ὑποσόλοιον.] Subabsurdum, subineptum si ita loqui licet. Soloecismus, oratio est vitiosa neque satis Graeca. Solis enim graece male loquebantur. Sed a verbis ad facta translata dictio est: ut siquid inepte faciamus, soloecismum facere dicamur.

Non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem.] Inepte peregrinari visus esset, si Antii

ludos ineptos spectasset.

Ab Appii foro.] Forum Appii ultra Ariciani est prope paludem Pontinam. HORATIVVS, Egressum magna me cepit Aricia Roma Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus Graecorum longe doctissimus, inde forum Appi Differtum nautis cauponibus atque malignis.

NARRO tibi, plane relegatus mihi videor postea quam in Formiano sum, dies enim nullus erat, Antii cum essem, quo die non melius scirem, Romae quid ageretur, quam ii qui erant Romae; etenim litterae tuae, non solum quid Romae, sed etiam quid in Rep. neque solum quid fieret, verum etiam quid futurum esset, indicabant; nunc, nisi si quid ex praetereunte viatore exceptum est, scire nihil possumus; quare quamquam iam te ipsum expecto, tamen isti puero, quem ad me

statim iussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum: ac diem, quo Roma sis exiturus cura ut sciam. Nos in Formiano esse volumus usque ad prid. Nonas Mai. eo si ante eam diem non veneris, Romae te fortasse videbo; nam Arpinum quid ego te invitum?

Τραχεῖ, ἀλλ' ἀγαθὴ κροτοτρόφος, ἔτι ἔγωγε
 Ἡς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Haec igitur. Cura ut valeas.

IN VNDECIMAM EPISTOLAM.

Nam Arpinum quid ego te invitum? Τραχεῖ ἀλλ' ἀγαθὴ κροτοτρόφος.] In Arpino nihil erat praeter saxa & montes. Vide prooemium libri secundi de legibus; quare regio aspera est. ἀλλ' ἀγαθὴ κροτοτρόφος. Verum, inquit, bona puerorum nutrix, ex qua iam bis huic imperio nata salus est. Apud CICERONEM libro secundo de legibus sic Atticus, Recte igitur Magnus ille noster me audiente posuit

in iudicio, cum pro Avidio tecum simul diceret, remp. nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eodem sui conservatores extitissent. Conservatores autem ii sunt, C. Marius, & M. Cicero.

Haec igitur.] Locus corruptus est. Scriptum fuisse videtur aut huc igitur, aut, Hic igitur. Huc igitur venies, aut, Hic igitur te expectabo.

NEGENT illi PUBLIVM plebeium factum esse; hoc vero regnum est, & ferri nulla pacto potest; emittat ad me PUBLIVS, qui obsignent; iurabo CNAEVUM nostrum, collegam BALBI, Antii mihi narrasse, se in auspicio fuisse; o suaves epistolas tuas, uno tempore mihi datas, duas: quibus εὐαγγέλια quae reddam, nescio: deberi quidem plane fateor; sed vide συγκύρημα. Emerseram commode ex Antii in Appiam ad Tres tabernas, ipsis Cercalibus, cum in me incurrit, Roma veniens CVRIO meus ibidem ilico puer abs te cum epistolis; ille ex me, nihil ne audissem novi: ego negare. PUBLIVS, inquit, Tribunatum pleb. petit; quid ais? & inimicissimus quidem CAESARIS, & ut omnia, inquit, ista rescindat; quid CAESAR? inquam; negat, se quicquam de illius adoptione tulisse; deinde suum, MEMMII, METELLI NEPOTIS exprompsit odium. Complexus iuvenem dimisi, properans ad epistolas. Vbi sunt, qui aiunt, ζώσης Φωνῆς? quanto magis vidi ex tuis litteris, quam ex illius sermone, quid ageretur? de ruminatione quotidiana, de cogitatione PUBLII, de lituis βώπιδος, de signifero ATHENIONE, de litteris missis ad CNAEVUM, de THEOPHANIS, MEMMIQVE sermone; quantam porro mihi expectationem dedisti convivii istius ἀσελγῆς? sum in curiositate ὀξύπεινος: sed tamen facile patior, te id ad me συμπόσιον non scribere; praesentem audire malo. Quod me, ut scribam aliquid, hortaris: crescit mihi quidem materies, ut dicis: sed tota res etiam nunc fluctuat; κατ' ὀπώρην τραχύς: quae si decesserit; magis erunt iudicata, quae scribam: quae si statim a me ferre non potueris, primus habebis tamen, & aliquandiu solus. DICAEARCHVM recte amas; luculentus homo est, & civis haud paullo melior, quam isti nostri ἀδικαίαρχοι. Litteras scripsi hora decima Cerealibus, statim, ut tuas legeram: sed eas eram daturus, ut putaram, postridie ei, qui mihi primus obviam venisset. TERENCEIA delectata est tuis litteris, & impertit tibi multam salutem: καὶ Κικέρων ὁ Φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται.

IN DVODECIMAM EPISTOLAM.



Negent illi *Publium Tribunum plebis factum esse.*] Caesar & Pompeius metuere incipiebant, ne a Clodio oppugnarentur, si Tribunus plebis factus esset: quem videbant aegerrime ferre tam vilem sibi datam esse legationem, neque id dissimulare, sed palam & aperte eis periculum denunciare. Cum ergo impedire vellent quominus Tribunus crearetur, negabant Plebeium esse factum, quare Tribunum esse non posse. Caesar qui de eius adoptione tulerat, nihil se tulisse dicebat. Pompeius qui in auspicio fuisset, cum lata lex Curiata est, in auspicio se fuisse negabat. Quare emendandus locus sic est, *NEGENT illi Publium Plebeium factum esse.* Neque enim dum Tribunus factus erat: Sic enim *haec eadem epistola* scriptum est, *Publius inquit Tribunatum plebis petit; quid ais? & inimicissimus quidem Caesaris, & ut omnia inquit, ista rescindat; quid Caesar inquam? Negat se quidquam de illius adoptione tulisse.*

Hoc vero regnum esse.] Negent illi hoc esse regnum: negent se regnum in libera civitate possidere: negent suam se potentiam constituisse, legum evertisse. Quasi dicat M. TVLLIVS, *Negare non possunt.*

Ferre nullo pacto potes.] Puto legendum *FERRI nullo pacto potest;* regnum, inquit, hoc quis diutius ferat? Nec ego quidem possum, qui decreveram nihil curare.

Emittat ad me Publius, qui obsignent.] Proprie dixit *Emittat*, quasi dicat, Excurret ex urbe huc ad me aliquis a Clodio, qui excipiat meum testimonium. *Obsignare*, est testium iuratorum dicta excipere.

Iurabo Cn. nostrum collegam Balbi mihi narrasse in auspicio fuisse.] Cneus ne Ciceroni narravit se in auspicio fuisse cum de Clodio lex Curiata a Caesare ferretur, an vero Balbi collega? Cneum narrasse ipsum, non sit verisimile, cum sciret, quam id Ciceroni ingratum esse deberet, quem amicitiae simulatione retinere laborabat. Quare Balbi Collegam dicemus Ciceroni Antii narrasse, Pompeium in auspicio fuisse. Verum quis hic est *Balbi collega*, aut quis ipse adeo *Balbus*? Balbum hunc *Lucium Cornelium Gaditanum* esse non puto, qui cum magistratum nullum esset etiam tum in repub. adeptus, nullo honore usus esset, collegas habere non potuit. Nullo autem dum usum fuisse honore, inde licet intelligere, quod cum post Ciceronis ab exilio reditum de civitate accusaretur, & invidiam ei adversarius conflare omniratione laboraret, ei de praediis obiecit, de Tribu Crustumina, de Theophanis adoptione, verbum de magistratu fecit nullum. Quamobrem *hoc in loco* mendi mihi subolet suspicio:

existimaremque non male legi posse, *COLLEGAM Balbum:* ut Balbus Augur collega Pompeii, qui scire id optime potuerit, Ciceroni narret Pompeium in auspicio fuisse. Quis autem hic Balbus sit, non possum divinare. *Quintus Lucilius Balbus* apud CICERONEM lib. II. *de natura deorum*, religiones Deorum immortalium defendit. Unde conici potest, quanta Qu. huic Balbo cum Cicerone fuerit familiaritas. Quem si Augurem fuisse legissem, de eo intelligere Ciceronem affirmarem. Superest illud explicemus, quomodo dicamus *Pompeium in auspicio fuisse.* Magistratus qui auspicabatur, (omnium enim magistratum auspicia erant, quemadmodum scribit M. TVLLIVS lib. II. *de legibus*) in Auspicium augurem adhibebat. Quae de re M. TVLLIVS libro *de divinatione secundo* iis verbis. *Etenim ut sint auspicia, quae nulla sunt, haec certe quibus utimur sive tripudio, sive de caelo, simulachra sunt auspicio, auspicia nullo modo. Quinte Fabi, te mihi in auspicio esse volo; respondet, Audivi. Hic apud maiores adhibebatur peritus, nunc quilibet: peritum autem esse necesse est eum, qui silentium quid sit, intelligat. Id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio vacaret: hoc intelligere perfecti auguris est.* Caesari igitur auspicanti in auspicio Pompeius augur fuit.

Sed vide συκκενμα. Emerferam commode ex Antio, &c.] Sed vide casum mirificum. Casus autem mirificus hic fuit, quod eodem tempore in Curionem Roma venientem incurrerat, & ibidem illico ab Attico literas receperat. Illud autem, *COMMUNE*, pro *Commodum* positum videtur, nisi forte *commodum* quam *commode* legere malimus; nusquam enim apud CICERONEM *Commode* pro *tantum* invenimus. *Commodum* autem mille locis.

Ipsis Cerealibus.] Cerealia v. Idus Apriles celebrabantur.

Et ut omnia ista rescindat.] Quaecunque a Caesare erant in Consulatu acta: quia contra auspicia acta essent.

Memmi, Metelli, Nepotis exprompsit odium.] Hic est C. Memmius, qui sequente anno Praetor creatus, de actis Caesaris ad Senatum retulit, una cum L. Domitio Collega. Vide SVETONIVM in *D. Iulio*. De Metello Nepote iam antea scripsimus in *epistola*, *CVPIO* equidem.

Vbi sunt qui aiunt ζώσης φωνής.] Integrum est ζώσης φωνής μεζω ενάγγελον είναι. Vide ERASMVUM in proverbio, *Viva vox.*

De lituis βοώπιδος.] De *Boopide* iam antea scripsimus. *Lituus* quid sit, declarat M. TVLLIVS libro *primo de divinatione* iis verbis, *Quid lituus iste noster (quod clarissimum est insigne Auguratus) unde vobis est traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum cum urbem condidit. Qui*

quidem Romuli lituus (id est, incurvum & leniter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui quo canitur, similitudine nomen invenit) cum situs esset in Curia Saliorum, &c.

De signifero Athenione.] Quem adversus Caesarem Publius parabat. Quem per Athenionem intelligat non satis constat. Capua e ludo Lentuli L. X. gladiatores profugerunt: qui ducibus Athenione & Oenomao iusto exercitu collecto bellum populo Romano intulerunt: quod tandem a Crasso confectum est; cuius meminit M. TULLIVS initio libri ultimi in Verrem. M. ergo Crassum per Athenionem intelligi non male omnino dixero: nam & Pompeium Sampsiceram paulo post vocat M. TULLIVS a Sampsiceram populis devictis.

De literis missis ad Cn. de Theophanis, Memmiique sermone.] In quo male a Memmio Pompeius fuerat tractatus. Erat autem tum Pompeius Capuae. Vide epistolam huius libri, Multa me sollicitant.

Quantam porro mihi expectationem dedisti convivii istius ἀσελγῆς.] Vna in convivio aliquo Atticus cum P. Clodio fuerat, in quo de Cicerone sermones multi habiti sunt. Convivium ἀσελγῆς convivium est dissolutum, vinolentum, luxu diffuens, & in quo nihil, nisi ebriorum voces, auditur.

Sum in curiositate ὀξύπνιος.] In curiositate est Cicero ὀξύπνιος, qui expectare vix potest, dum Atticus praefens ei narret totum illud delicatum convivium, quemadmodum homines fame-

lici vix ferunt coenae vel tantillam dilationem.

Quod me ut scribam aliquid adhortaris.] Adhortabatur Atticus Ciceronem ut historiam suorum temporum conscriberet, quod a nobis dictum iam antea est.

Sed tota res etiam nunc fluctuat: κατ' ὀπώρην τραχύς: quae si decesserit, magis erunt iudicata quae scribam.] Nondum maturum tempus venit ad id, ad quod me hortaris: nec enim, dum res in modum Autumni fluctuat, & incertae sunt, & nescitur quemnam exitum sint habiturae, scribi de iis quidquam potest; expectandum ergo est dum hic veluti autumnus decedat, resque ipsae consistant, ut quae a nobis scribentur magis sint iudicata. Loci huius haec sententia est: & nescio an alia esse possit, ut audeam ita eum restituere, Sed tota res etiam nunc fluctuat κατ' ὀπώρην τραχείαν: quae si decesserit, &c. ὀπώρα autem τραχεία dicitur, quia inaequalis, varius & inconstans autumnus fit; nam quae aspera sunt inaequalia sunt. Nisi velis epitheton esse autumnus insuavem & gravem: pluviosus enim valde est. CICERO in epistola ad Qu. fratrem, cuius est initium, Romae & maxime Appia, hos HOMERI versus citat,

Ἡματ' ὀπώρην ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ

Ζεὺς, ὅτε δὴ ἄνδρεςσι κοτεσσαμένος χαλεπήνη.

καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν τίττον ἀσπάζεται.] Se philosophum vocat, qui nihil iam de repub. cogitet aut curet, Pomponium vero politicum, qui in urbe sit, & publica negotia tractet, in mediisque rerum fluctibus versetur.

FACINVS indignum: epistolam, ἀθωρεῖ tibi a Tribus tabernis rescriptam ad tuas suavissimas epistolas, neminem reddidisse? at scito, eum fasciculum, quo illam conieceram, domum eo ipso die latum esse, quo ego dederam, & ad me in Formianum relatum esse; itaque tibi tuam epistolam iussi referri; ex qua intelligeres, quam mihi tum illae gratae fuissent. Romae quod scribis sileri, ita putabam; at hercule in agris non siletur: nec iam ipsi agri regnum vestrum ferre possunt; si vero in hanc τηλέπυλον veneris λαισρυγονίην, Formias dico, qui fremitus hominum? quam irati animi? quanto in odio noster amicus Magnus? cuius cognomen una cum CRASSI Divitis cognomine consenescit; credas mihi velim; neminem adhuc offendi, qui haec tam lente, quam ego fero, ferret; quare, mihi crede, Φιλοσοφώμεν; iuratus tibi possum dicere, nihil esse tanti. Tu si literas ad Sicyonios babes, advola in Formianum: unde nos pr. Non. Mai. cogitamus.

IN DECIMAM TERTIAM EPISTOLAM.

In hanc τηλέπυλον λαισρυγονίην, Formias dico.] Laestrigones insignes latrones e Sicilia Formias inhabitant: quare Formias Laestrigoniam vocat; τηλέπυλον autem oppidi epitheton, quod portas valde habet distantes.

Tu si literas ad Sicyonios babes.] Cum a Si-

cyoniis propter id Senatusconsultum cuius antea mentio facta est, Atticus magnam accepisset plagam, venit Romam ut literas commendatitias a Senatu ad Sicyonios auferret: ut quod iure cogi non poterant, sua voluntate Senatus nomine facerent.

QUANTAM tu mihi moves expectationem de sermone BIBVLI? quantum de colloquio βωπίδος? quantam etiam de illo delicato convivio? proinde ita fac venias, ac ad sitientis aures; quamquam nihil est iam, quod magis timendum nobis putem, quam ne ille noster Sampficeramus, cum se omnium sermonibus sentiet vapulare, & cum has actiones εὐχατρεπίης videbit, ruere incipiat; ego autem usque eo sum enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim ἐντυρῶννείσθαι, quam cum optima spe dimicare. De pangendo quod me crebro adhortaris, fieri nihil potest; basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum; at quam partem basilicae tribum Aemyliam? sed, omitto vulgus, post horam IV. molesti caeteri non sunt; C. ARRIVS proximus est vicinus; immo ille quidem iam contubernalis; qui etiam se idcirco Romam ire negat, ut hic mecum totos dies philosophetur; ecce ex altera parte SEBOSVS, ille CATVLI familiaris; quo me vertam? statim mebercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodissime expectari viderem, duntaxat ad prid. Non. Mai. vide enim quibus hominibus aures sint deditae meae; occasionem mirificam, si qui nunc, dum ii apud me sunt, emere de me fundum Formianum velit; & tamen illud probem? Magnum quid aggrediamur, & multae cogitationis, atque otii; sed tamen satisfiet a nobis, neque parceretur labori.

IN DECIMAM QVARTAM EPISTOLAM.



uantum etiam de illo delicato convivio.] Quomodo nunc delicatum vocat convivium, quod antea ἀσελγής vocavit? Ironia ergo esse videtur.

Ruere incipiat.] Ad ferrum & vim confugiat. Sic enim, de Pompeio item scribens, epist. DE repub. quid ego. Et timeo, inquit, tam vehemens vir, tamque acer in ferro, & tam infuetus contumeliae ne omni animi impetu dolori & iracundiae parcat. Ruere autem est ferri praecipitem, & turbare more suis.

At quam partem Basilicae? Tribum Aemyliam.] In Basilicis quaeque Tribus certum & designatum locum habebat. Tribus autem Aemylia (quae ab authore habet nomen) plenissima omnium Tribuum erat. Cum ergo dixisset Basilicam se habere Formianorum frequentia, non villam, subiunxit, at non quamlibet Basilicae partem: Tribum inquit, habeo Aemyliam.

Immo ille quidem iam contubernalis.] Qui mensa eadem & lecto eodem utuntur, Contubernales appellantur: eaque societas contubernium a Latinis, a Graecis κοινόβιον appellatur. Vide. GELLIVS lib. I. cap. IX.

Occasionem mirificam, si qui nunc, dum ii apud

me sunt, emere de me fundum Formianum velit: & tamen illud probem. Magnum quid aggrediamur.] Occasionem mirificam ut fundum Formianum bene venderem, si qui nunc dum urbani ii homines apud me sunt, emere vellet: putaret enim si fundum hunc haberet, habiturum se in villa urbem, hoc est, homines quibus cum de repub. loqueretur, & e quibus intelligere posset de rebus urbanis. Cicero enim sibi relegatus videbatur cum in Formiano erat, ubi de urbanis rebus, nisi siquid ex praetereunte viatore exceperat, scire nihil poterat: quemadmodum ipse scribit epistola NARRO tibi. Verum illud quid est, Et tamen illud probem. Et unde illud tam abruptum, Magnum quid aggrediamur? Ne longum faciam, sic mihi scriptum fuisse videtur, Occasionem mirificam, si qui nunc dum apud me ii sunt, emere de me fundum Formianum velit. Et tamen illud, Propediem magnum quid aggrediemur, &c. Et tamen illud te scire volo, propediem historiam scribere aggrediemur: quae quemadmodum scribit CICERO in prooemio libri primi de legibus, neque institui potest, nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolvi.

VT scribis, ita video, non minus incerta in Rep. quam in epistola tua: sed tamen ista ipsa me varietas sermonum, opinionumque delectat. Romae enim videor esse, cum tuas literas lego, & ut sit in tantis rebus, modo hoc, modo illud audire; illud tamen explicare non possum, quidnam invenire possit, nullo recusante, ad facultatem agrariam. BIBVLI autem ista magnitudo animi in comitorum dilatio-

ne, quid habet, nisi ipsius iudicium sine ulla correctione Reip.? nimirum in PUBLIO spes est: fiat Tribunus plebis: si nihil aliud, ut eo citius tu ex Epiro revertare; nam ut illo tu careas, non video posse fieri; praesertim si mecum aliquid volet disputare; sed id quidem non dubium est, quin, si quid erit eiusmodi, sis advolaturus; verum ut hoc non sit; tamen seu ruet, seu eriget Remp. praecclarum spectaculum mihi propono, modo te confessore spectare liceat. Cum haec maxime scriberem, ecce tibi SEBOSVS; nondum plane ingemueram; salve, inquit ARRIVS; hoc est Roma decedere? quos ego homines effugi, cum in hos incidi? ego vero in montes patrios, & ad incunabula nostra pergam; denique si solus non potuero, cum rusticis potius, quam cum his perurbanis: ita tamen, ut, quoniam tu certi nihil scribis, in Formiano tibi praestoler usque ad III. Non. Mai. TERENCEIAE pergrata est assiduitas tua, & diligentia in controversia MULVIANA, nescit omnino, te communem causam defendere eorum, qui agros publicos possideant; sed tamen tu aliquid Publicanis pendis; haec etiam id recusat; ea tibi igitur, & Κικέρων, ἀριστοκρατικώτατος παῖς, salutem dicunt.

IN DECIMAM QUINTAM EPISTOLAM.



In tantis rebus.] In tanta republica. Quid nam invenire possit, nullo recusante ad facultatem Agrariam.] Scripserat Atticus Ciceroni, audisse de quodam Caesaris familiari prolatum iri aliquid a Caesare, quo multitudini cunctae satisfaceret, ita ut a nemine reprehendi posset. Quid autem id fuerit ex DIONE intelligimus, qui lib. XXXVIII. ita scribat, Ita ergo perlata lex Agraria est, agerque praeterea Campanus iis ad multos annos concessus, qui liberos haberent: qua de causa tum primum Capua Colonia populi Romani appellata est. Hac eadem de re ita SVETONIUS in D. Iulio, Campum Stellatem maioribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia reipub. vectigalem relictum, divisit extra sortem viginti milibus civium, quibus terni pluresve liberi essent.

In Comitiorum dilatione.] M. Bibulus Caesaris collega per edicta obnunciando (prodire enim in publicum non audebat) comitia differbat. Nolebat Cicero eos COSS. creari, quos creatum iri videbat, si Caesar Comititia solus haberet.

In Publio spes est.] Si Tribunus factus erit, ut horum acta rescindat.

Si nihil aliud, ut eo citius tu ex Epiro revertare.] In hoc loquendi genere intelligi debet particula SALTEM: si nihil aliud, saltem ut eo

citius, &c. TERENCEIVS in Andria,

— quidni? si nihil impetres,

Vt te arbitretur sibi paratum moechum, si illam duxerit.

Verum ut hoc non sit, tamen sive ruet, rempub.] Scriptum fuisse puto, Verum ut hoc non sit, tamen revives rempub. Hac sententia, Si mecum Clodius volet aliquid disputare, dubium non est, quin sis advolaturus. Verum ut hoc non sit, tamen revertere ex Epiro, ut rempub. revivas: in qua ego praecclarum spectaculum mihi propono istorum inter ipsos dissensiones. Vide epist. DE geographia, &c.

Qui agros publicos possideant.] Agros publicos intelligi puto, quos L. Sylla municipiis ademptos publicavit, publicatos vendidit. Vide Orat. III. de lege Agraria, & orationem pro domo sua. Publicabatur autem ager, hoc est, populi Rom. publicus fiebat, qui bello capiebatur. Vide quintam Verrinam.

Sed tamen tu aliquid Publicanis pendis.] Vectigalia publicani a Censoribus conducebant, quemadmodum libro primo scripsimus: quae ex agris publicis veniebant.

Haec etiam id recusat.] Vult agros suos esse immunes; agri qui nihil pensitant immunes proprie dicuntur. CICERONEM III. orat. in Rullum, Immunia praedia commodiore conditione sunt, quam illa quae pensitant.

COENATO mihi, & iam dormitanti, prid. Kal. Mai. epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis; quid quaeris? primum ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis, quam molestia; cogitanti autem haec fere succurrebant; primum ex eo, quod superioribus literis scripseras; ex familiari te illius audisse, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret; maius aliquid

timueram: hoc mihi eiusmodi non videbatur; deinde, ut me ego consolær, omnis expectatio largitionis agrariae in agrum Campanum videtur esse derivata: quæ ager, ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere; reliqua omnis multitudo ab illis abalienetur, necesse est; praeterea, si ulla res est, quae bonorum animos, quos iam video esse commotos, vehementius possit incendere, haec certe est, & eo magis, quod portorii Italiae sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, praeter vicesimam? quae mihi videtur una conciuncula, clamore pedissequorum nostrorum, esse peritura. CNAEVS quidem noster iam plane quid cogitet, nescio;

Φυσᾶ γὰρ ἔσμιχροῖσιν ἀλλίσκοις ἔτι,
ἀλλ' ἀχρεῖαις Φύσαισι Φορβείας ἄτερ:

qui quidem etiam istuc adduci potuerit; nam adhuc hoc ἐσοφίζετο, se leges CAESARIS probare; actiones ipsum praestare debere: agrariam legem sibi placuisse: potuerit intercedi, nec ne, nihil ad se pertinere: de rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici; BIBVLVS de caelo tum seruasset, nec ne, sibi quaerendum non fuisse: de Publicanis, voluisse illi ordini commodare; quidquid futurum fuerit, si BIBVLVS tum in forum descendisset, se divinare non potuisse, nunc vero Sampsicerame quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano constituisse; agri Campani abstulisse? quid, hoc quemadmodum obtinebis? oppressos vos, inquit, tenebo exercitu CAESARIS; non mebercule me tu quidem tam isto exercitu, quam ingratis animis eorum hominum, qui appellantur boni, qui mihi non modo praemiorum, sed ne sermonum quidem unquam fructum ullum, aut gratiam retulerunt; quod si in eam me partem incitarem, profecto iam aliquam reperirem resistendi viam; nunc prorsus hoc statui, ut quoniam tanta controversia est DICAEARCHO, familiari tuo, cum THEOPHRASTO, amico meo, ut ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικὸν, utrique a me mos gestus esse videatur; puto enim me DICAEARCHO affatim satisfacisse: respicio nunc ad hanc familiam; quae mihi non modo, ut requiescam, permittit; sed reprehendit, quia non semper quierim; quare incumbamus ó noster TITE ad illa praeclara studia, & eo, unde discedere non oportuit, aliquando revertamur. Quod de QVINTI fratris epistola scribis, ad me quoque fuit πρόσθε λέων, ὅπιθεν δὲ: quid dicam nescio; nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis monere possit: ita rursus remittit, ut me roget, ut annales suos emendem, & edam. Illud tamen, quod scribit, animadvertas velim, de portorio circumvectionis; ait, se de consilii sententia rem ad Senatum reiecisse; nondum videlicet meas litteras legerat; quibus ad eum, re consulta, & explorata, perscripseram, non deberi; velim, si qui Graeci iam Romam ex ASIA de ea causa venerunt, videas, & si tibi videbitur, his demonstras, quid ego de ea re sentiam; si possum discedere, ne causa optima in Senatu pereat, ego satisfaciam Publicanis; si δὲ μὴ, (vere tecum loquar) in hac re malo universae ASIAE, & negotiatoribus; nam eorum quoque vehementer interest; hoc ego sentio valde nobis opus esse; sed tu id videbis. Quaestores autem, quaeso, num etiam de cistophoro dubitant? nam si aliud nihil erit; cum erimus omnia experti, ego illud ne quidem contemnam, quod extremum est. Te in Arpinati videbimus, & hospitio agresti accipiemus; quoniam maritimum hoc contempsisti.



n qua de agro Campano scribis.]

In Caesaris lege Agraria agri Campani nulla mentio facta fuerat. Vide DIONEM lib. XXXVIII.

Qui ager ut dena iugera sint.]

Qui ager ut ita dividatur, ut cuique dena iugera dentur. Alii libri xx. habent, male tamen. CICERO in II. de lege Agraria, Veniat & coram mecum de agri Campani divisione disputet. Proferat, in iugera dena describat, ab Otriculana usque ad Narniensem nomina vestra proponat; si non modo dena iugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum intelligetis, tamen vexari rempublicam, contemni maiestatem populi Romani, deludi vosmet ipsos diutius a Tribuno plebis patiemini?

Hominum quinque millia potest recipere.] SVE-
TONIVS tamen scribit xx. hominum millibus divisum, quibus tres aut plures liberi essent.

Quod portoriis Italiae sublatis.] Sustulitne Caesar in perpetuum Italiae portoria? an vero ex ea pecunia quae annis aliquot recipi e portoriis posset, a Publicanis repraesentata, agros emi voluit? hoc mihi magis placet.

Quod vectigal superest domesticum praeter vicesimam?] Vectigalia domestica cur non esset e repub. dividi, scribit M. TULLIVS II. de lege Agraria iis verbis, An ignoratis caetera illa magnifica populi Romani vectigalia perlevi saepe fortunae momento inclinatione temporis pendere? Quid nos Asiae portus, quid Syriae rura, quid omnia transmarina vectigalia iuvabunt tenuissima suspitione praedonum, aut hostium iniecta? At vero hoc agri Campani vectigal cum eiusmodi est, ut domi sit, & omnibus praesidiis oppidorum tegatur, tum neque bellis infestum, neque fructibus varium, nec caelo ac loco calamitosum esse solet. Vicesima vectigal solvitur, cum pro centum quinque solvuntur.

Nam adhuc hoc εσοφίζετο.] Nam quae adhuc fecerat, ita excusabat.

Si leges Caesaris probaret, actiones ipsum praestare oportere.] Non debere accusari, qui leges Caesaris probarit, si per vim Caesar tulerit: Caesarem accusandum esse. Possunt enim esse iustae leges, & iniuste tamen ferri.

De rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici.] Quomodo confici? reductusne est Ptolemaeus in regnum Caesare Consule? minime; quid ergo? Latum est ut reduceretur; neque statim tamen reductus est, multis eam reductionem postulantibus.

Bibulus de caelo tum servasset necne, &c.] Duo tum erant auspicio genera ex observatione Caeli & Tripudio. Vide CICERONEM II. de divinat.

De Publicanis, voluisse illi ordini commodare.] Caesar, quemadmodum in D. Iulio scribit SVE-
TONIVS, Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit, ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatus licitarentur propalam monuit.

Si Bibulus tum in forum descendisset.] Qui metu Caesaris in publicum prodire non audebat.

In monte Antilibano.] Libano monti mons alius e regione ostenditur, qui Antilibanus dicitur.

Ad hanc familiam.] Epicureorum. Philosophorum dicuntur sectae familiae, disciplinae. Cur autem familiae? an quia quemadmodum in familiis fit, ut omnes eodem sint nomine, ita & in sectis, ut qui Epicurum sequantur, omnes Epicurei, quemadmodum qui a Iulio descendunt omnes Iulii? Sic videtur.

Ad me quoque fuit, πρόσθε λέων, ὀπίθεν δέ.] In epistola quoque quam ad me scripsit, non satis sibi constabat. Versiculus vulgatus est, πρόσθε λέων, ὀπίθεν δέ δράκων, μέσση δέ χίμαιρα. Vide ERASMVVM in eo proverbio.

Deplorat suam mansionem.] Qu. Cicero triennium in Asia Propraetore fuit. Successor autem missus est L. Flacco, quem Cicero defendit.

De portorio circumvectionis.] Portorium circumvectionis tum solvitur, cum singulis portibus solvitur, quibus appellitur navis, ut non satis sit semel in primo portu unius provinciae solvisse.

De Consilii sententia.] Consilium & Proconsulis & Propraetoris e legatis constat: quemadmodum in Vatinianam interrogationem notatum a nobis est.

Velim siqui Graeci iam Romam ex Asia ea de causa, &c.] Quae a CICERONE Asia dicitur, & quomodo in Asia Graeci sint, libro primo scripsimus in epistola, ASIAM quinto.

Si possum discedere ne causa optima in Senatu pereat, ego satisfaciam Publicanis.] Si possum id assequi ut negotiatorum causa iustissima in Senatu obtineatur, ego efficiam ne Publicani id moleste ferant. In Senatu periculum erat ne causa illa, etsi optima, periret, quia augeri videbantur vectigalia populi Rom. si circumvectionis vectigal solveretur, Publicani autem aegre latari videbantur, si decretum esset non deberi, qui conducta haberent vectigalia.

εἰ δὲ μὴ (vere tecum loquar) in hac re malo universae Asiae & negotiatoribus.] Quod si Publicanis satisfacere non potuero, moleste id quidem feram, sed tamen hac in re malo gratificari Asiae universae quam Publicanis. Malle alicui, velle alicui, Cupere alicui, alicuius causa velle, genera loquendi sunt CICERONI & TERENCEIO familiarissima. Quare illud TERENCEII in Andria emendavimus, ubi contra versus rationem le-

legebatur, *Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi bene cupio Glycerio.* Vbi legendum est, *Vel quod ipsi cupio Glycerio.* CICERO in epistola ad *Qu. fratrem, STATHIVS ad me.* Ego inquit *Fundanio non cupio? non amicus sum? nemo magis.*

Nam eorum quoque vehementer interest.] Negotiatorum qui merces circumvehebant circum Asiae portus.

Hoc ego sentio valde nobis opus esse.] Ut si quid nobis acciderit, ab Asia libenter recipiamur, & hoc nostro beneficio homines provinciales & negotiatores Quinto fratri meo aequiores reddam: quos ille a se pene abalienavit. Vide CICERONIS epistolas duas primas ad *Qu. fratrem.*

PRORSVS, ut scribis, ita sentio; turbatur Sampsicramus; nihil est, quod non timendum sit; ὁμολογούμεως τυρανίδα συσκευάζεται; quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid ager Campanus, quid effusio pecuniae significant? quae si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut haec extrema esse non possint; quid enim eos haec ipsa per se delectare possunt? numquam huc venissent, nisi ad alias res pestiferas aditus sibi compararent; verum, ut scribis, haec in Arpinati A. D. VI. circiter Id. Mai. non deflebitur, ne & opera, & oleum philologiae nostrae perierit: sed conferemus tranquillo animo; dii immortales! neque tam me εὐελπίσια consolatur, ut antea, quam ἀδιὰφορία; qua nulla in re tam utor, quam in hac civili, & publica; quin etiam, quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον, (bellum est enim sua vitia nosse) afficitur quadam delectatione: solebat enim me pungere, ne Sampsicrami merita in patriam ad annos DC maiora viderentur, quam nostra: hac quidem cura certe iam vacuus est; iacet enim ille sic, ut Phocis Curiana stare videatur. Sed haec coram. Tu tamen videris mihi Romae fore ad nostrum adventum; quod sane facile patiar, si tuo commodo fieri possit; sin, ut scribis, ita venies; velim e THEOPHANE expiscere, quoniam in me animo sit ARABARCHES; quaeres scilicet, ut soles κατὰ τὸ κηδεμονικόν, & ad me ab eo quasi ὑποθήκας adferre, quemadmodum me geram; aliquid ex eius sermone poterimus περὶ τῶν ὄλων suspicari.

IN DECIMAM SEPTIMAM EPISTOLAM.

Turbatur Sampsicramus.] Scribendum est, Turbat Sampsicramus. Turbare & ruere pro eodem dicuntur a CICERONE. Ruit ergo, inquit, Pompeius, ad regnum sibi aditus parat. Omnia ab homine tam acri in ferro timenda sunt.

Quid enim ista repentina affinitatis coniunctio?] De coniunctione hac affinitatis ita SVETONIUS in *D. Julio*, Sub idem tempus Caesar Calpurniam L. Pisonis filiam successuri sibi in Consulatu duxit uxorem, suamque Iuliam Cneo Pompeio collocavit, repudiato priore sponso Servilio Caepione, cuius vel praecipua opera Bibulum paulo ante impugnaverat.

Quid effusio pecuniae.] M. TVLLIUS in interrogatione *Vatiniana*, Vatinio obiicit eius legibus erogatas ex aerario pecunias. Ea autem quae Vatinio a Cicerone obiiciuntur, Caesarem magna ex parte fecisse constat.

Quid ager Campanus?] Quem nemo ante Caesarem diviserat. CICERO in II. in *Rullum*,

Maiores nostri non solum quod a Campanis ceperant, non imminuerunt, verum etiam quod attinebat, quibus adimi iure non poterat, coemerunt. Qua de causa nec duo Gracchi, qui de plebis Romanae commodis plurimum cogitaverunt, nec L. Sylla qui omnia, quae voluit sine ulla religione est dilargitus, agrum Campanum attingere ausus est.

Nunquam huc venissent, nisi ad alias res pestiferas aditus sibi compararent.] Signa sunt quaedam labentis & occidentis reipublicae potentium coniunctiones, largitiones in populum immoderatae: quae cum accidunt, prope adest cum libertas publica opprimetur. Alia praeterea quaedam notantur a M. TVLLIO lib. in *Verrem* ultimo iis verbis, *Perditae civitates desperatis omnibus rebus hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vinciti solvantur, exules reducantur, res iudicatae rescindantur: quae cum accidunt nemo est quin intelligat ruere illam rempublicam.*

Hac quidem cura certe iam vacuus est.] Deesse aliquid videtur, *Vacuus est animus legendum puto.*

puto. Hac sententia, iam non vereor ne Pompeii in patriam merita maiora ad annos DC. videantur, quam nostra.

Iacet enim ille sic ut Phocis Curiana stare videatur.] Sic inquit, iacet Pompeius, ut Cato qui peccavit, Curiae oraculum, stare videatur, & in magna gloria sit apud omnes. Qua de re epistola, *SVBITO cum mihi*, ita M. TVLLIVS scribit, *Vide* inquit, *quo invidia transeat & ubi sit habitatura: videbis brevi tempore magnos non modo eos qui nihil titubarunt, sed etiam illum ipsum qui peccavit, Catonem.* Ex eo igitur quod

maiora videantur Catonis merita in rempub. qui multa tamen peccaverat, quam Pompeii, colligit sua multo visum iri maiora.

Arabarches.] Pompeium *Arabarchem* vocat reguli alicuius Asiatici nomine a Pompeio aut devicti aut constituti.

Quae res scilicet κατὰ τὸ κηδεμονικόν, & ad me ab eo quasi ὑποθήκας afferre quomodo me geram.] Quod a te fiet diligentissime & studiosissime; quod sequitur ita legendum puto, *ET ad me ab eo quasi ὑποθήκας affer quomodo me geram.*

ACCEPI aliquot epistolas tuas: quibus intellexi, quam suspensio animo, & sollicito scire haberes, quid esset novi; tenemur undique: neque iam, quo minus serviamus recusamus; sed mortem, & eiectionem, quasi maiora, timemus: quae multo sunt minora; atque hic status qui una voce omnium gemitur, neque verbo cuiusquam sublevatur; σκοπὸς est, opinor, illis qui tenent, nullam cuiquam largitionem relinquere; unus loquitur, & palam adversatur adolescens CVRIO; huic plausus maximi, consalutatio forensis perhonorifica, signa praeterea benevolentiae permulta a bonis impertiuntur: FVFIVM clamoribus, & conviciis, & sibilis consecretantur; his ex rebus non spes, sed dolor est maior; cum videas civitatis voluntatem solutam, virtutem alligatam; ac ne forte quaeras κατὰ λεπτόν de singulis rebus, universa res eo est deducta, spes ut nulla sit, aliquando non modo privatos verum etiam magistratibus liberos fore; hac tamen in oppressione sermo in circulis duntaxat, & conviviiis est liberior, quam fuit, vincere incipit timorem dolor, sed ita; ut omnia sint plenissima desperationis; habet etiam Campana lex execrationem in coitione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Iulii; non dubitant iurare caeteri. Laterensis existimatur caute fecisse, quod Tribunatum pleb. petere destitit, ne iuraret. Sed de Rep. non licet plura scribere; displiceo mihi, nec sine summo scribo dolore; me tueor; ut oppressis omnibus, non demisse; ut tantis rebus gestis, parum fortiter; a CAESARE valde liberaliter invitator, in legationem illam sibi ut sim legatus: atque etiam libera legatio voti causa datur; sed haec & praesidii apud pudorem Pulbelli non habet satis, & a fratris adventu me ablegat: illa & munitior est, & non impedit, quo minus adsim: cum velim; hanc ego teneo, sed usurum me non puto; neque tamen scit quisquam; non lubet fugere: haveo pugnare; magna sunt hominum studia; sed nihil affirmo: tu hoc silebis. De STATIO manumisso, & non nullis aliis rebus, angor quidem, sed iam prorsus occallui; tu, vellem, egove cuperem, adesses: nec mihi consilium, nec consolatio deesset; sed ita te para, ut, si in clamaro, advoles.

IN DECIMAM OCTAVAM EPISTOLAM.

Σκοπὸς est opinor illis qui tenent.] Tenent per se a CICERONE ponitur, quemadmodum a DEMOSTHENE ἐπέχει in Orat. pro Ctesiphonte. Tenere autem, est omnia tenere, ἐπέχειν, πάντα κρατεῖν.

Habet etiam lex Campana execrationem in coitione Candidatorum si mentionem fecerint, quo

ager aliter possideatur atque ex legibus Iulii.] Coiverunt inter se Candidati omnium magistratum de lege Campana & diris se execrationibus devoverunt, si mentionem facerent, ut ager aliter possideretur, quam ex lege Caesaris. Quo a Caesare adactos esse Candidatos verisimile est, de quo haec scribat SVEFONIVS, Ad

Ad securitatem ergo posteris temporis in magno negotio habuit obligare semper annuos magistratus, & e competitoribus non alios adiuuare & ad honorem pati pervenire, quam qui sibi pepigissent propugnatos absentiam suam: cuius pacti non dubitavit a quibusdam iusiurandum atque etiam syngrapham exigere.

Non dubitant iurare caeteri.] In leges Iulias caeteri Candidati iurare non dubitant. In legem autem iurare, est iuratum legem confirmare & approbare ex more, cuius meminit DION lib. XXXIII. De Candidatis tantum loqui Cicero, ex eo intelligimus, quod scribit DION Metellum Celerem M. Catonem & M. Favonium diu dubitasse iurarene an non, in legem.

Laterensis.] M. Iuventius Laterensis, is qui Cneum Plancium ambitus accusavit, quem Plancius ad Ciceroem scribens virum sanctissimum vocat.

Sibi ut sim legatus.] In exercitu suo legioni praesim. Neque tamen sibi quenuquam legare Imperator poterat, sine Senatus decreto. Vide interrogationem Vatinianam.

Libera legatio voti causa datur.] De liberis legationibus antea scripsimus: quae aut syngraphae exigendae, aut haereditatis persequendae, aut voti solvendi causa dabantur.

Et ea fratris adventu me ablegat.] Volebat M. Tullius Romae adesse, cum Qu. frater rediret ex Asia; verebatur enim, ne accusaretur ob provinciam non satis continenter & modeste administratam.

De Stathio manumisso.] Qu. Cicero Stathium servum conscium & participem suorum scelerum e provincia decedens manumisit: veritus quemadmodum hominum sermo erat, ne de eo adversus se quaereretur. Vide epistolam sequentem, & epist. ad Qu. fratrem, Stathius ad me venit.

MULTA me sollicitant, & ex Reipub. tanto motu, & ex iis periculis, quae mihi ipsi intenduntur: & sexcenta sunt; sed mihi nihil est molestius, quam Stathium manumissum; nec meum imperium? ac mitto imperium, non similitudinem meam revereri saltem? nec, quid faciam, scio? neque tantum est in re, quantus est sermo; ego autem ne irasci possim quidem iis, quos valde amo: tantum doleo, ac mirifice quidem; caetera in magnis rebus; minae CLODII, contentionesque, quae mihi proponuntur, modice me tangunt; etenim vel subire eas videor mihi summa cum dignitate, vel declinare nulla cum molestia posse. Dices fortasse, dignitatis ἀλλοις, tanquam δρῶς: saluti, si me amas, consule. Me miserum, cur non ades? nihil te profecto praeteriret: ego fortasse τὸ φλῶτῳ, & nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα; scito nihil umquam fuisse tam infame, tam turpe, tam peraeque omnibus generibus, ordinibus, aetatibus offensum, quam hunc statum, qui nunc est: magis mebercule, quam vellem, non modo quam putarem; populares isti iam etiam modestos homines sibilare docuerunt. BIBVLVS in caelo est: nec, quare, scio; sed ita laudatur, quasi unus homo nobis cunctando restituit rem. POMPEIUS, nostri amores, qui mihi summo dolori est, ipse se afflixit, neminem tenet: voluntate, an metu necesse sit iis uti, vereor. Ego autem neque pugno cum illa causa propter illam amicitiam: neque approbo, ne omnia improbem, quae antea gessi; utor via; populi sensus maxime theatro, & spectaculis perspectus est; nam gladiatoribus, qua dominus, qua advocati sibilis conscissi ludis Apollinaribus DIPHILVS tragoedus in nostrum POMPEIUM petulanter invecit: Nostra miseria tu es Magnus, millies coactus est dicere. Eandem virtutem istam, veniet tempus, cum graviter gemes, totius theatri clamore dixit, itemque caetera; nam & eiusmodi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico POMPEII scripti esse videantur. Si neque leges, neque mores cogunt, & caetera magno cum fremitu & clamore sunt dicta. CAESAR cum venisset mortuo plausu, CVRIO filius est insectatus; huic ita plausum est, ut, salva Rep. POMPEIO plaudi solebat; tulit CAESAR graviter; literae CAPVAM ad POMPEIUM volare dicebantur; inimici erant Equitibus, qui CVRIONI stantes plauserant; hostes omnibus. Rosciae legi, etiam frumentariae minitabantur; sane res erat perturbata; equidem malueram, quod erat susceptum ab illis, silentio transire: sed vereor, ne non liceat; non

ferunt homines, quod videtur esse tamen ferendum; sed est iam una vox omnium, magis odio firmata, quam praesidio. Noster autem PUBLIUS mihi minitatur, inimicus est: impendet negotium ad quod tu scilicet advolabis; videor mihi nostrum illum consularem exercitum bonorum omnium, etiam satis bonorum habere firmissimum. POMPEIUS significat studium erga me non mediocre; idem affirmat, verbum de me illum non esse facturum; in quo non me ille fallit, sed ipse fallitur. COSCONIO mortuo, sum in eius locum invitatus; id erat vocari in locum mortui; nihil me turpius apud homines fuisset: neque vero, ad istam ipsam ἀσφάλειαν, quicquam alienius; sunt enim illi apud bonos invidiosi: ego apud improbos meam retinuissem invidiam: alienam assumissem. CAESAR me sibi vult esse legatum; honestior haec declinatio periculi; sed ego hoc nunc repudio; quid ergo est? pugnare malo: nihil tamen, certi; iterum dico, utinam adesses, sed tamen, si erit necesse arcessemus. Quid aliud? quid? hoc opinor; certi sumus perisse omnia; quid enim ἀκλιζόμεθα tamdiu? sed haec scripsi properans, & mebercule timide; posthac ad te, aut, si perfidelem habebo, cui dem, scribam plane omnia: aut, si obscure scribam, tu tamen intelliges; in iis epistolis me LAELIVM, te FVRIVM faciam: caetera erunt ἐν ἀνιγμοῖς. Hic CAECILIVM colimus, & observamus diligenter. Edicta BIBULI audio ad te missa; iis ardet dolore, & ita noster POMPEIUS.

IN DECIMAM NONAM EPISTOLAM.



Nec meum imperium, ac mitto imperium, non simultatem meam revereri saltem? Terentiani versus a CICERONE saepe male citantur, quemadmodum scripsimus in praefatione nostra in Terentium; apud quem in

Phormione ita ii versus leguntur,

Neque meum imperium, age mitto imperium:
non simultatem meam

Revereri saltem. Demiphonis senis verba sunt accusantis filium, qui absente se uxorem duxerat.

Vel declinare nulla cum molestia posse.] Si Caesaris legatione uti velim.

Dignitatis ἀλῆς tanquam δρυὸς.] Inventis frugibus velle vesci glande inscitia est. Vnde natum proverbium est, ἀλῆς δρυὸς, hoc est, glande satis diu usi sumus. Vide ERASMV M in eo proverbio.

Saluti si me amas consule.] Declina si me amas periculum, potius quam in contentionem venias.

Et nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα.] Non putabat Cicero, honeste posse eius uti legatione, a quo perpetuo disenserat: ne praemio aliquo deductus de sententia videretur.

Omnibus generibus, ordinibus, aetatibus.] Genera hominum Romae duo: Patricii alii erant, plebei alii, ordines tot erant, quot classes, quae censibus distinguebantur: aetates duae, Seniorum & Iuniorum.

Magis me Hercule quam vellem.] Nam & dolore summo afficio, cum Pompeium ita iacere video, & vereor ne ira exardescat vir tam info-

lens infamiae, neque pati possit se omnium sermonibus vapulare.

Populares isti iam etiam modestos homines sibilare docuerunt.] Qui enim antea non sibilabant, propter modestiam, tenere se non possunt, quin istos populares sibilis proscindant: tanto odio hominibus sunt.

Nec quare scio.] Sine causa is laudatur, qui nulla re iuvat rempublicam. Quare cum Comitia differendo Bibulus iudicium tantum suum testaretur sine ulla correctione reipublicae, non erat, cur tantopere laudaretur.

Quasi unus homo nobis cunctando restituit rem.] Fabius Maximus ut reipub. consulere, rumores populi finistros & invidios ad tempus contempsit, quo facto tantam gloriam est postea consecutus: ut cum quis in caelo ponitur, laudem Fabio parem adeptus dicatur.

Voluntate an metu necesse sit iis uti vereor.] Vereor ne populo non tam persuadere velint quae cupiunt, quam cogere.

Propter illam amicitiam.] Quae mihi cum Pompeio est.

Vtor via.] Publicis consiliis nullis intersum.

Populi sensus maxime theatro & spectaculis perspectus est.] Quid populus de nobis sentiat, concionibus, comitiis, ludis, & spectaculis declarat: quemadmodum CICERO in oratione pro P. Sestio. In theatro ludi fiunt, spectacula in circo, foro, comitio, exhibentur: in quibus numerantur gladiatores.

Nam gladiatoribus.] Compertum non habeo, quis gladiatores hos dederit. Consule Caesare Qu. Arrium epulum funebre populo dedisse scribit

bit M. TULLIVS in *Vatiniana interrogatione*: in quo Vatinus cum toga pulla accubuit. Quare verisimile est, gladiatores quoque eundem Arrium dedisse: quandoquidem in honorem mortuorum saepissime darentur, & multi testamento diem praestituerent, quo haeredem munus hoc gladiatorium in sui memoriam populo dare vellent.

Qua dominus, qua advocati.] Qua dominus, qua advocati spectabant. Dominus est is, qui munus dat, *advocati* ii quos sibi dominus adesse honoris causa vult: qui ex amicis eligebantur. CICERO in *Vatinium*, *Fausti adolescentis nobilissimi paulo ante ex epulo magnificentissimo famem illam veterem tuam non expleras? quem accumbere atratum videras? dominum cum toga pulla & eius amicos ante convivium videras.*

Sibilis conscisti sunt.] Nostri populares.

Ludis Apollinaribus.] Ludi Apollinares secundo bello Punico ex praedicto Martianorum Carminum, quibus Cannensis clades scripta fuit, victoriae causa instituti sunt, in quibus Decemviri Apollini bove aurata & duabus capris auratis, Latonaeque bove aurata sacra Graeco ritu faciebant: quos Praetore praesidente populum laureatum spectasse, Apollini pro cuiusque facultatibus stipe data T. LIVIVS auctor est. Cumque antea incerto die fierent, P. Licinius Varus Praetor urbis legem tulit, *ut dies ante III. Non. Quintiles iis ludis status foret.*

Nostri miseria tu es magnus.] Initium Trochaici octonarii catalectici. Pompeius magnus cognominatus est a Sylla.

Eandem virtutem istam, &c.] Trochaicus est octonarius catalecticus.

Caesar cum venisset mortuo plasu.] Misero, intermortuo & languido.

Curio filius est infecutus.] Qui unus aperte Caesari adversabatur. Vide *epistolam superiorem.*

Inimici erant Equitibus, qui Curioni stantes plausserant.] Nostri populares irati vehementer erant Equitibus, qui Curioni non sedentes de more, sed stantes plausserant.

Hostes omnibus.] Toti populo infensi.

Rosciae legi, etiam frumentariae minitabantur.] *Roscia lex* ad Equitum dignitatem, frumentaria ad plebis commoda pertinebat: illa enim seiunxit Equites a plebe in spectaculis, haec plebi Romanae victum abunde sine labore subministrabat. Legis Rosciae *prima epistola huius libri* mentio a nobis facta est. Legum frumentariarum quae vis & sententia fuerit, intelligimus ex illis verbis *orationis pro Sestio*, *Frumentariam legem C. Gracchus ferebat: iucunda res plebi Romanae: victus enim suppeditabatur large sine labore; repugnabant boni, quod & ab industria & labore ad desidiam plebem avocari putabant, & aerarium exhauriri videbatur.* Cui autem frumentariae legi minitarentur, satis compertum non habeo: Credo equidem ei s. c. quod in Catonis sententiam, sumpto de coniuratis sup-

plicio, de annona plebi Romanae largienda. Quae de re ita PLYTARCHVS in *Catone Vticensi*, *Sumpto igitur de coniuratis supplicio, Caesareque pro iis rebus, quarum gratia in Senatu impugnatus fuerat, a Catone ad populum confugiente, hominesque perditos contra rempublicam concinnante, ut conatibus eius obviam iretur, persuasit Senatus Cato annonam plebi Romanae largiendam; erat autem sumptus annuus M. D. L. talentorum.*

Equidem malueram quod erat susceptum ab illis, silentio transire.] Malueram homines expectare transitum tempestatis, & ad tempus dissimulare dolorem suum. Vide *epistolam abhinc tertiam.*

Sed vereor ne non liceat.] Sed vereor ne populus velit ulcisci dolorem suum.

Quod videtur tamen esse ferendum.] Ne in maius malum respublica deveniat.

Cosconio mortuo sum in eius locum invitatus.] C. Cosconius Cicerone Consule, quemadmodum CICERO scribit in *oratione pro Sylla*, Praetor fuit: quem e quinque viris Agrariis Caesar fecerat: in cuius demortui locum Ciceroni quinqueviratum Caesar obtulit. Vide CICERONEM in *oratione de provinciis Consularibus.*

Sunt enim illi apud bonos invidiosi.] Quinque viri Agrarii.

Meam retinuissem invidiam.] Iam inde conceptam a meo Consulatu.

Alienam assumpsissem.] Ante haec verba deesse aliquid huiusmodi videtur, *APUD bonos: ut legamus, apud bonos alienam assumpsissem.*

Properans me Hercule & timide.] Quid sit *properare* Cato in *orat.* quam *de suis virtutibus* habuit, a GELLIO citata, docet iis verbis, *Qui unum quod mature, inquit, transigit, is properat, qui multa simul incipit, neque perficit, is festinat.* Hoc tamen loco *properans* pro *festinante* positum videtur, hoc est *animo perturbato*, quomodo in illo Terentiano accipiendum videtur, *Non temere est, & properans venit.*

Te Furium.] L. Furium Pilum: de quo M. TULLIVS in *Bruto.*

in αὐτὴν ὑποκρίσιν.] CICERO III. *de Oratore*, *sumpta re simili verba eius rei propria deinceps in aliam rem, ut dixi, transferuntur.* Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea quae dicuntur *aenigmata.*

Hic Caecilium colimus & observamus diligenter.] Atticus Qu. Caecilii avunculi haereditatem amibat, quare M. Tullio mandaverat, ut avunculum observaret & coleret, & senem in sui amore retineret. Neque multo post mortuus Caecilius est Attico sororis filio haerede instituto.

Edicta Bibuli.] Quibus Bibulus Comitiorum dies obnunciando tollebat.

Iis ardet dolore & ira noster Pompeius.] Contumeliosa edicta Bibuli in Pompeium erant; quare *epistola sequente Archilochia* a CICERONE appellatur.